DE M. TULLII CICERONIS

PRO

L. CORNELIO BALBO

ORATIONE

SIVE

DE CIVITATIS JURE

Ex Ciceronianis Libris

THESIM PROPONEBAT AQUENSI LITTERARUM FACULTATI

Armand A. GASQUY

In Massiliensi Lycæo Professor

LUTETIÆ
APUD E. THORIN
BIBLIOPOLAM

AQUIS SEXTIIS
APUD A. MAKAIRE
BIBLIOPOLAM

1886

L. CONSTANS

In Aquensi Litterarum Facultate Professori

AMICITIÆ ET HONORIS CAUSA

HÆC DISPUTATIO DEDICATUR

PROŒMIUM

Ut priore et ampliore volumine [1] juris civilis peritissimum fuisse Ciceronem docere conati sumus, ita jure publico exercitatum nec non eruditissimum eumdem ostendere nunc enitemur. Neque enim satis est profluentem Tullii eloquentiam mirari, oportet quoque hoc lucidius et apertius reddere quo modo animos flexerit, qua voluerit, non tantum canoro grandique sermone, verum etiam rationis vi et bonæ mentis testimonio.

Paucissimis viris, hoc ineunte sæculo, totum Ciceronem comprehendere atque ejus ingenium ingenio fere pari celebrare concessum fuit. Nobis autem, quantum exiguis viribus efficere possumus, excellentem ac perfectissimum oratorem aliqua saltem parte intueri liceat et unum opus

[1] *Cicéron jurisconsulte*, Paris, Thorin, 1886.

in tot ac tam variis hujusce viri scriptis illustrare : unde fieri possit omnibus manifestum eumdem virum eloquentissimum ætatis suæ simul et prudentissimum disciplinisque maxime imbutum exstitisse. Minime enim, si rhetorum modo officinas frequentasset nec sub Academi umbraculis assidere solitus esset, de religione et patriæ caritate, de bonis rebus aut malis, de virtutibus aut vitiis, de voluptate aut dolore, de perturbationibus animi et erroribus loqui graviter, ample, copiose potuisset. Quemadmodum igitur vim et copiam ex philosophis sumpsit, sic ei juris civilis ac publici scientia in privatis causis tela suppeditabat [1].

His præmissis, Ciceronis pro L. Cornelio Balbo orationem fatebor in primis dignam visam esse, de qua dissererem. Ut enim insunt loca satis obscura atque ob id indagatione nova illustranda, sic quidquid de civitatis jure dixit Cicero maximi momenti esse ad meliorem juris Romani notitiam a me fuit existimatum.

De quæstionibus, quæ ad orationem pro Balbo pertinent, præsertim de populis fundis, quædam antea sunt scripta. Sigonius enim Manutiusque et Hottomanus, ille acerrimus Tullii detractor, ne in verba magistri Ciceronis jurarent, populos fundos aliter atque Balbi defensor in commentariis definire conati sunt. In Thesauro autem antiquitatum Romanarum, Nicolai Rigaltii, Ismaelis Bullialdi et Henrici Valesii disputationes graviores congessit Grævius atque

[1] Conf. Ciceronis de arte rhetorica libros.

suis ipse notis ditavit [1]. Deinde J.-F. Gronovius, Auli Gellii locum quemdam commentatus, novam de populis fundis dissertationem edidit, quam legere est apud Elout, *Ad Ciceronis orationem pro Balbo*, p. 90 - 113. Qui quidem de hoc loco docte disputavit p. 52 - p. 61 [2]. Quidam alii de verbis ac scriptura potius quam de re causaque controversiam fecerunt [3]. De civitatis jure ac fœderatis populis non inutile fuit adire monumenta quæ ad antiquitatis Romanæ gloriam exstruxere Becker, Marquardt, Mommsen, Lange, aut Pauly, aut Smith atque juris peritorum disceptationes pervolvere [4].

Quamvis de tot ac tantis viris modeste ac circumspecto judicio pronuntiandum sit, hoc tamen dicere ausim : cum passim de quibusdam quæstiunculis occurrat emendatio

[1] Vol. II, p. 930 (apud Venetos, 1732).

[2] *Ad M. Tullii Ciceronis orationem pro L. Cornelio Balbo*, Lugduni Batavorum, 1828.

[3] Rumpf, *Observ. in Cic. pro Balbo*, Giessen, 1814, in-4°.
Büchner, *Annot. crit. ad orat. pro Balbo*, Schwerin, 1866, in-4°.
Madvig., *Opusc.*, II, (1834).
Reinholdus Klotz, in Cic. editione, Lipsiæ, 1876, quam in oculis et in manibus semper habuimus cuique referendi sunt loci citati.

[4] Giraud, *Hist. du Droit français au Moyen-Age.*
Chambellan, *Hist. du Droit français.*
Raynouard, *Hist. du Droit municipal*, Paris, 1829.
Ne omittamus :
Willems, *Le Droit public romain*, Louvain, 1880.
Bouché-Leclerq, *Manuel des Institutions romaines*, Paris, 1886.

aperta et illustris, nusquam invenitur tamen absoluta interpretatio, cujus variæ partes inter se congruant. Itaque hæc studia mihi resumenda esse atque novum commentarium edendum existimavi; lætaborque, si quid utile in explicandis Ciceronis orationibus ego quoque attulerim.

CAPUT PRIMUM

Orationis pro L. Cornelio Balbo argumentum. — Quo modo causa acta sit. — De commentarii ratione.

---

§ 1.

Dum Pompeius, qui in Hispaniam missus erat, ut Metello Pio jam ætate ac laboribus ad arma tardiori auxilium ferret, bellum adversus Sertorium gerebat, ex senatus sententia, a L. Gellio Poplicola et Cn. Cornelio Lentulo Clodiano coss., a. U. c. 682, lex lata fuit, qua cautum est ut ii cives Romani essent, quos Cn. Pompeius imperator de consilii sententia [1], singillatim civitate donasset [2].

[1] In consilio militari aderant quæstores, tribuni, primipili atque interdum equites. V. Cæs. *De bel. Gall.*, c. 3.

[2] Cic., *Pro Balbo*, c. 8, 14 et 17.

In summa rerum difficultate proponebantur a Romanis præmia summa, quibus socios ad subeunda pro reipublicæ salute pericula allicerent. Balbus igitur, Gaditanus nobilis, ob insignia in Rempublicam merita, a Pompeio civitate donatus est. Qui quidem civis romanus factus, non a Pompeio modo amicissime est habitus, sed in Cœsaris quoque familiaritatem sese insinuavit et eorum gratia opibus brevi in dies crevit. Ejus invidi Romanique isti qui calamitates, quæ postea ex Pompeii Cæsarisque de imperio certamine ortæ sunt, jam præsagiebant cupiebantque ac parabant, effecerunt ut Gaditanus vir quidam L. Cornelium Balbum accusaret negaretque civem esse romanum. Qui quidem contendebat populi Gaditani injussu Gaditanum quemquam civem romanum fieri non posse.

Hæc accusatio minime Cn. Pompeio spernenda ac negligenda visa fuit, quoniam quidquid in reum, hoc in se dici putaret; itaque pro Balbo causam oravit atque etiam hortatus est M. Crassum et Ciceronem ut clientem ipsi quoque defenderent. Tertio igitur loco causæ defensionem suscepit Tullius atque orationem ita peritam et eloquentem habuit ut L. Balbus absolutus fuerit.

Hæc causa Cn. Cornelio Lentulo Marcellino et L. Marcio Philippo coss. a. 698, ætatis Ciceronis a. 51, acta est. Eodem anno, P. Sestium a M. Tullio Albinovano lege Lutatia de vi postulatum defendit Cicero, Vatinium, falsum testem, perpetua interrogatione reprehendit, orationem de haruspicum responso et, paulo post, de provinciis consularibus habet, postremo M. Cœlium de auro quod a Clo-

dia sumpsisse et de veneno, quod ei parasse dicebatur, accusatum judicio liberat [1].

---

§ 2.

Operæ pretium est primum anquirere quo modo Balbi causa acta sit. Ex ipsa pro Balbo oratione, nihil aliud inferre possumus, nisi id judicium apud *judices* actum esse. Qui ii fuerint, subobscurum est. De ingenuitate tamen, de civitate, de statu sententiam ferebant *decemviri stilitibus judicandis* [2]. Ita appellantur qui sacramentum justum dixere, orante Tullio, pro Arretina muliere, in causa liberali [3]. Cum vero pro Archia poeta apud prætorem et judices, in

[1] De argumento, vide R. Klotz , *Oratio pro Balbo* et *Memorabilia vitæ Ciceronis*, in fronte editionis Lìpsiæ datæ.—Conf. Plutarchum, *Sertorii vita*, c. 20 sqq. ; *Pompeii vita*, c. 16 sqq. ; Velleium Paterculum, II, 30.

[2] V. Dion. Hal., IV. 25 ; Liv., III, 55 ; Suet., *Oct.* 36 ; Plin. *Ep.*, V, 21 ; Dio. Cass., LIV, 26. — Conf. Keller, *Procédure civile chez les Romains*, trad. Capmas, Paris, 1870 ; Willems, *Droit public Romain*, p. 335.

[3] *Pro Cæc.*, 33 ; *Pro domo*, 29.

quæstione legitima et in judicio publico, ut ipsius oratoris verba usurpem [1], aliquot annis antea dixerit, et cum simillimæ causæ ambæ fuisse videantur, eo adducor ut putem eadem ratione hoc judicium esse habitum. Hæc de civitate quæstio, vel extraordinaria, vel perpetua, ipsa lege Licinia Mucia aut Papia, aut quadam alia constituta fuit.

Balbi igitur causa apud *quæsitorem* [2] quemdam et apud judices, quorum numerus minime constat, perorata est [3].

Valde autem dissentio ab his qui existimant hoc judicium a prætore peregrino exerceri potuisse [4]. Etenim prætor urbanus et peregrinus in causis privatis tantum jus dicebant : itaque crimini Verri dedit Cicero quod in prætura judicium publicum exercuerit [5] ; minime autem in dubio esse potest judicium publicum fuisse Balbi causam sicut et Archiæ et omnes de statu contentiones.

In causis publicis cuilibet esse accusatori licebat [6]. Ex duabus præcipuis legibus concedebatur iis ex quorum

[1] *Pro Archia*, II, 3 ; *Pro Balbo*, XXIII, 52 ; XXVII, 60 et 62 ; XXVIII, 64 et 65. — Conf. *Pro Cluent.*, 27 et 29 ; *Brut.*, LXXVI, 264, et XXVII, 106.

[2] Quæsitor, id est : quæstionis præses. Conf. Ortolan, *Expl. hist. des Inst. de Justinien*, vol. I, §§ 272-283.

[3] Ex cap. III, l. II *De legibus*, Balbi causa a Pompeio Tallioque apud Atticum *prætorem* orata sit. Tunc prætor idem valeret atque præses.

[4] V. Elout, *op. cit.*, p. 67 sqq.

[5] *In Verr.*, I, LX, 155, et XLVII, 124.

[6] *Dig.*, 48, 2, 7, et *Instit.*, IV, 18, 1.

civitate erat qui pro cive romano esse haberique volebat, eum repetere : ex lege Licinia Mucia, a L. Licinio Crasso oratore et Q. Mucio Scævola a. 659 lata, « ne quis sit pro cive qui civis non sit, » atque ex lege Papia, a C. Papio Tribuno a. 689 dicta. Lex Licinia Mucia vocatur quoque lex *de civibus regundis* (*redigundis*), atque a Cicerone pro Cornelio orante non inutilis modo, verum reipublicæ etiam perniciosa æstimabatur, quippe quæ belli Italici, sive socialis, causa fuisse videretur. Altera lex, post priorem triginta annis scripta, sanxit ut peregrini urbe pellerentur et socii Latini nominis in suas civitates redigerentur; quod jam a L. Junio Penno, Gracchorum temporibus, sancitum erat [1]. Quæ quidem lata fuit ne peregrini pro civibus sese gererent et ne urbes sociorum Latinorum vastæ fierent. Idem quoque, sociorum rogatu, a. 577 lex Claudia decreverat [2]. Ex ea lege Mamertini M. Crassum quemdam repetere susceperunt, a quo tamen incepto postea recessere.

Ex lege Papia igitur et Archiæ et Balbi accusatores egisse mihi videntur [3].

Hæc duo judicia de civitate quidem fuere; hoc tamen intererat quod negabant Archiam civem esse factum, Balbum autem civem fieri potuisse. Etenim cum Heracliensium civitatis tabularium bello sociali exarsisset, ad obti-

[1] De hac lege Junia, a. 628 lata, V. *Brut.*, 28, *De Off.*, III, 11.

[2] De lege Claudia, V. Liv., XLI, 8 et 9, et XLII, 10.

[3] *Pro Balbo*, XXII, 52, XXIV, 54, XXI, 48; *Pro Archia*, V, 10; *Cornel.*, fragm. 10; *Ad Att.*, IV, 16, 32.

pendum jus civitatis Romanæ, ex Plautia Papiria lege, argumenta Archiæ deerant, nec bona sua intra dictum tempus in censum se detulisse probare poterat.

---

§ 3.

Cum res et judicium nobis nota sint, pauca de commentarii nostri forma ac ratione dicenda sunt.

De Balbi vita et de Gaditana civitate aliquot verba præmittere nobis primum necesse esse visum fuit. Etenim, cum omnis causa de civitatis jure sit, magni momenti est cognoscere quis fuerit ille peregrinus qui civitatem adeptus, familiarissime cum Romanorum potentissimis vixerit, qua gente oriundus, qua conditione cives ejus a Romanis habiti sint. His prædictis, de civitatis jure de populis fœderatis ac fundis disputare nobis licebit. Postremo totam Ciceronis orationem evolvemus atque eam cum æquitate et jure congruere ostendemus. Ita quoque nemo erit qui non agnoscat legitimam fuisse Gelliam Corneliam legem, de qua omnis causa pendet, atque non injuria Balbum ex Gaditano Romanum esse factum.

Ad commentarium duæ quidem viæ nobis patebant : aut Ciceronis defensionem gradatim expromere atque locos

obscuriores continua explanatione notis illustrare ; aut primum jus ac leges in mentem lectoris revocare, deinde orationem universam breviter contrahere, ut nunquam a veritate et justitia discessisse oratorem probaremus. Itaque, cum res, de qua disceptabant accusator defensorque, simplex esset, jus autem ambiguum , præsertim cum semper de iisdem verbis eadem nobis annotanda essent, ne perspicuitas commentariis deesset, ne quasi obcæcaretur ipsa explanatione Tullii oratio, alterum iter priori antetulimus. Longo quidem interdum circuitu usi sumus, sed propositum destinatumque tangere nihilhominus nobis dabitur, scilicet ut sensus orationis, cujus verba plerique mirantur, in pleniore lumine appareat.

CAPUT II

De L. Cornelii Balbi vita [1].— De Gaditana civitate.

§ 1.

L. Cornelius Balbus Gadibus honesto loco natus est [2]. Qui quidem fuit ex iis Hispanis qui Sertorio auxilium non tulerunt fidemque Romanis præstiterunt. Cum Q. Cæcilio Metello Pio, Numidici filio, et C. Memmio L. P. Gemello in exercitu et in classe fuit. Carthagine nova cum præsidio Romano obsessus fuit; postea acerrimis illis præliis quæ ad Sucronensem et Turiensem amnes edita sunt, a. circiter 679, interfuit.

[1] V. *Pro Balbo*, passim; Plut., *Sert.*, passim. — Conf. Drumann, *Geschichte Roms*, II, pp. 594-608.

[2] Eum Tartesium semel appellat Tullius, *ad Att.* VII. 3, 11.

Ubi Pompeius in Hispaniam venit, primum cum quæstore ejus Memmio summa familiaritate vixit Balbus, deinde ab ipso duce usque ad extremum belli tempus nunquam discessit. Itaque ob talem in rempublicam laborem, ob virtutem, ob dimicationes, ut ait Cicero, a Pompeio, lege Gellia Cornelia, civitate donatus est. Beneficium illud L. Cornelii Lentuli, qui belli civilis anno primo consul fuit, gratia consecutus est, a quo, velut in adoptione, prænomen ac nomen de more sumpsit[1]. Cæsare permittente, posthæc Lentuli negotia omnia procuravit Balbus fidemque ei inviolatam servavit[2]. Cognomen autem Balbi erat Romæ frequentissimum. De quo L. Papirio Pæto per jocum scribebat Cicero : « Peto a te ne pluris esse *Balbos*, quam disertos putes[3]. » Alias Tironi suo hæc mittebat : « Balbus ad me scribit tanta se epiphora (id est : oculorum morbo) oppressum ut loqui non possit[4]. »

Idem Balbus, cum adoptatus esset a Theophane Mitylinensi[5], Pompeii liberto et vitæ ejus narratore, ipsius Theophanis cognomen quoque accepit. Quod quidem a Balbi inimicis objectum est : « Et adoptio Theophanis

[1] V. P. Manutium, in *Argumento*; hoc tamen negat Drumann.

[2] *Ad Att.*, I, 7 b, 2.

[3] *Ad famil.*, IX, 19.

[4] *Ad famil.*, XVI, 23.

[5] Ipse Theophanes in militum contione, a Pompeio civitate donatus est. Qui quidem eadem familiaritate cum Pompeio usus est atque Balbus cum Pompeio et Cæsare. V. *Pro Archia*, X, 24 ; *Ad Att.*, II, 5, 1 ; II, 12, 2 ; II, 17, 3 ; V, 11, 3 ; V. 9,3 ; VIII, 12, 5 ; IX, 11, 3.

agitata est, per quam Cornelius nihil est, præterquam propinquorum suorum hereditates, adsecutus [1]. » Quæ verba ita explicanda puto : cum potius per *adrogationem* quam per *adoptionem* in Theophanis familiam Balbus venerat, non plus ei evenit quam natura, nihil ex Theophanis fortunis habuit, sive nihil heredibus ille reliquerit, sive nihil ex hereditate sibi Balbus arrogaverit.

Quidquid id est, neque adoptionem, neque hortos Tusculanos probaverunt omnes. Ipse noster Tullius ad Atticum suum scribit se non intelligere quos bonos esse dicat, quoniam ei omnia jura perversa fuisse videantur ; fatetur sibi placere neque Gaditanum a Mitylenæo adoptatum, neque Tusculanum et Balbi hortum [2].

At non ob divitias tantum et Romanorum beneficia Balbum culpaverunt, sed crimini quoque dederunt quod in tribum Crustuminam pervenisset. Tribus enim aliæ aliis fuerunt honoratiores, quia prerogativæ quædam erant, id est suffragia ante alias ferebant, ita ut ex una in alteram honoris et præmii causa aut pœnæ dedecorisque cives transirent. Libertini quibus filius quinquennio major erat ex urbanis in rusticas tribus senatusconsulto promovebantur. Qui ambitus reum aliquem peregisset in condemnati tribum, si hæc honoratior esset, transire ex sua po-

[1] *Pro Balbo*, xxv, 57. — Conf. Gaium, *Inst*, I, 99 ; Gell., v, 19 ; *Pro domo*. xiii, 35.

[2] *Ad Att.*, vii, 7, 6.

terat. Ex lege de ambitu igitur hunc honorem obtinuit Balbus, ut ait Cicero [1].

Sed divitiæ et clarorum hominum amicitiæ pæne calamitati Balbo fuerunt. Nam, ut jam vidimus, de civitate comparata accusatus est [2]. Cives amplissimos ad judicium legavit Gaditanus populus, testes juris, laudatores vitæ, periculi deprecatores. Causam ejus susceperunt, ut supra dictum est, Pompeius Crassusque ac Cicero.

Ceterum civitatem Balbo datam jam probaverant sui cum, aliquot annis antea, hospitium cum Balbo publice fecissent [3]. Studio ejus ac labore rogatuque multa beneficia in Gaditanos contulit Cæsar.

Hoc evenit Balbo ut conjunctissime cum Pompeio et Cæsare vixerit. Defensus a Pompeio atque cum familiarissimis adæquatus locum ab eodem Pompeio accepit, ubi hortos ædificaret [4]. Villas etiam dedit ei Cæsar atque in prætura, in consulatu, præfecturam Balbo detulit multorumque

[1] *Pro Balbo*, xxv, 57; *Pro Cluentio*, xliii, 122. Liv. xl, xlii, xlv, 15. Val. Max. ii, 2, 9. — Conf. Willems, p. 54, sqq. et p. 283.

[2] Licebat igitur fœderatis accusare civem apud Romanos, ut hoc exemplum est, ex Servilia lege de civitate a. 653 lata, qua cautum est ut, si quis e sociis Latinis senatorem reum fecisset isque condemnatus esset, ei civitatis jus tribueretur eumque inter cives locum is occuparet, quem condemnatus habuisset. — *Pro Balbo*, xxiv, 54. Ernesti, *Clavis Ciceroniana.*

[3] Hoc ex oratione pro Balbo constat.

[4] *Ad Att.*, ii, 12, 1; ix, 13; *De leg. agr.*, i, 6.

laborum socium habuit; præterea octavum de bello gallico librum ei dedicavit [1].

Nec minus familiariter cum Cicerone egit Cornelius quam Oppius, Trebatius et quidam alii. Cum exsularet Cicero, omni officio, opera, consolatione, lacrimis, familiam ejus sublevavit : huic justas ac debitas grates in ipsa defensione refert Tullius [2].

Sæpissime ad eum scribebat Cicero de reipublicæ periculis et de amicis, quos Balbo commendare solitus erat, ut ipse eis Cæsaris gratiam obtineret [3]. Hæc de Balbo ad quintum fratrem mittebat : « Immortaliter gaudeo quod scribis te a Cæsare quotidie plus diligi ; Balbum vero, qui est istius rei adjutor, in oculis fero [4]. »

Semper enim in Cæsaris consiliis Balbus fuit ; unde maxime utilis esse sibi et amicis poterat. Itaque L. Papirio Pæto Tullius libenter fatebatur : « Si quid aliquando sciret, se ex L. Cornelio solere scire [5]. » Quamvis post Cæsaris ex Gallia reditum, læsa sit ea amicitia, Balbus tamen inter constantissimos ac fidelissimos semper a Cicerone existimatus est.

[1] *Pro Balbo*, XXVIII, 63. Jam in epistola ad Atticum missa a. d. V id. Apr. a. 695, tribus annis ante causam oratam, a Cicerone Pompeii collega appellatur.

[2] *Pro Balbo*, XXV, 58.

[3] *Ad fam.* VII, 7 (ep. ad Trebatium).

[4] *Ad Quint*, III, 1.

[5] *Ad famil.*, IX, 17, 1 ; —Conf. *Ad Att.*, VII, 7, 6, et 3, 11.

Ea autem erat Balbi in Ciceronis opera admiratio, ut furtim ab Attico acceptum quintum de finibus librum, describeret, antequam et ipse Brutus legisset [1].

Quemadmodum in Cæsarem assentator [2] et pecuniæ epularumque ac vini amantior fuisse Cornelius videtur, sic generosi animi, in publicis calamitatibus, plerumque vir fuit. Putabat enim Cæsarem et Pompeium concordes fieri posse. Quamobrem Ciceronem obsecrat ut tantos viros rursus in priorem amicitiam reducat; tum, si hoc factum fuisset, satis vixisse visum esse sibi exclamat [3]. Cum vero jam nulla reconciliationis spes foret, lætabatur tamen quod Cæsar sibi concesserat ne in iis castris esset quæ contra Lentulum et Pompeium ponerentur.

Balbus igitur mihi videtur esse annumerandus paucis illis egregiis viris qui publicas res in præceps ruentes sustinere ac totius civitatis cladem retardare sunt conati. L. Cornelii tot ac tam varios casus miratus, Plinius ejus vitam inter varietatis fortunæ exempla dedit [4].

Eximium constantiæ et amoris in Romanos præmium obtinuit. Nam a. 714 C.-J. Cæsaris Octaviani gratia consul suffectus est, ut ex fastis Capitolinis patet, primus ex peregrinis talem honorem adeptus [5].

Nulla laus, ne litterarum quidem, Balbo defuit; si Tran-

1 *Ad Att.*, XIII, 21.
2 Plut., *Cæs.*, 66.
3 *Ad Att.*, VIII, 15 a; IX, 7 b; *Ad Quint.*, III, 1, 9.
4 Plin., *H. n.*, VII, 43.
5 Klotz, *in Argumento*; sic Bouché-Leclercq.

quillo enim fides facienda est, de Cæsare libros scripsit [1]. Epistolæ ejus leguntur in libris *Ad Atticum* et *Ad familiares* [2].

Balbus noster vocatur quoque Balbus major, ut secernatur a Balbo minore, fratris filio [3]. Qui quidem de Garamantibus, a. 732, triumphavit atque ita divitiis abundavit ut, suis sumptibus, ingens theatrum, majus etiam quam quæ a Pompeio et ab Augusto constructa sunt, in campo Martio erigi curaverit.

---

§ 2.

Veniamus nunc ad civitatem Gaditanam et quibus vinculis Romani cum Gaditanis jungerentur, demonstremus.

Primum de Gadium situ ac nomine verba facienda. Gades insula fuit ad extremum occidentem, haud longissime

[1] Suet. *Cæs.*, 81.

[2] *Ad Att.*, VIII, 15 a; IX, 7 b; 13, a; *Ad famil.*, XVI, 23, 1; 24, 2.

[3] V. Teuffel, *Litt. Rom.*, § 209, 4, et 197, 4; Drumann, *G. R.*, II, p. 608-610.

a columnis Herculis. Tam angusto spatio ab Hispaniæ littore dividitur ut flumine a continenti abscissa esse videatur. Duobus promontoriis in altum procurrit et fert in altero cornu templum illustre Herculis. Gadium nomen fuit apud Phœnices et Pœnos *Gadeira*, *Gadir*, et septum, locum muris protectum, hoc verbo significari observaverunt complures, ut Dionysius, exempli gratia [1].

Constat hanc urbem a Tyriis esse conditam tempore quidem incerto Herculi consecratam esse, cujus effigiem in assibus reperire est [2].

Commercio ac divitiis celeberrimæ fuerunt Gades et, quamvis minimo spatio clausæ, frequentissimæ. Cum nimis exigua urbs esset, vir quidam, nomine Balbus, alteram condidit, cui nomen datum est *Nova* aut *Didyma* (quasi dicas *Gemina*). Strabonis ætate, quingenti equites censi

[1] Hesychius in *Lex.*, « γαδρεῖρα » τὰ περιφράγματα esse ait.—Conf. Dion. Hal., *Epist. ad Ammæum*, I, 4 : τριήρεις γαδικαί. — De Gadibus, V. Gesenii *Thesaurum*, p. 269; ejusdem *scripturæ linguæque Phœniciæ monumenta*, p. 305. Bocharti Geogr. sacram I, 34. — Conf. Esdras, IX, 9; Strab., l. III, edit. Casaubon, p. 168-177. Pausaniæ vidobatur Geryon Gadibus vixisse, quamvis nullum ejus rei monumentum certum esset. V. I, 35, 8, et X, 4, 6. Diod. Sic., VI, 7; Pomp. Mel., *De situ orbis*, III, 6; Festum Avienum, *Descript. orbis*, 268, 615. — Sall. fragm., apud Prisc., 5, 648, 698. Plin., II, 6, 7; IV, 36, etc.

[2] Sunt ii trium generum. In primis, apparet Hrculis caput imberbe, exuviis leonis tectum ad sinistram, pone clava; in aversa facie duo thynni, situ parallelo, inter eos lunula et globulus et littera α, cum his verbis : *A civibus Gadium.* In secundis, caput Herculis, pone Delphinus tridenti implicitus, cum his verbis : *Civitas Gadium.* In tertiis, caput Herculis; in posteriore parte, thynnus ad dexteram.

fuerunt, quam quidem multos nulla, vel Italica urbs, censuit præter Patavinam civitatem. Non solum insulam, sed adversam quoque oram inhabitabant Gaditani. Navibus mare implebant, ut Tyrii et Carthaginenses, ac præsertim metalla pretiosa populis mare Mediterraneum accolentibus afferebant, quibuscum exercere commercium soliti erant [1].

Multa miracula de Gadibus narrantur [2]. Quidam Erythea nomen Gadibus tribuerunt, in qua boves Geryonis fuisse fabulantur; plures vero eo nomine intelligunt insulam huic urbi adsitam, freto unius stadii disjunctam. De fonte in templo Herculis fabulæ quoque habentur nec minorem admirationem Straboni injiciebant arbores quæ forma et virtutibus palmis simillimæ videntur.

Gadibus Saturni quoque templum fuit; sed Herculem magis colebant Gaditani. Hannibal ipse, Sagunto capto, priusquam bellum renovaret, vota Herculi Gadibus exsolvit atque novis promissis se obligavit, si cetera prospera evenissent [3].

Quidam existimaverunt Gades eamdem urbem fuisse atque Tartessum [4]. Etenim ipse Cicero Balbum semel Tartessium appellat [5]. In libro *De Senectute* quemdam regem, ut longævi hominis exemplum, refert : « Exspectemus, » ait [6], « Tartessiorum regis ætatem; fuit enim, ut

[1] V. Strab., l. III, pass.
[2] V. Pausan. *l. c.*
[3] Liv. XXI, 21.
[4] Gesenii Lex, t. I, p. 1315.
[5] *Ad Att.*, VII, 3, 11.
[6] *De Senect.*, XIX, 69.

scriptum video, Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta annos regnaverat, centum viginti vixerat. » Ex his primum videtur eadem urbs esse Gades atque Tartessus. De Tartesso autem multum dubitatur. Nam alii hoc Tartessiorum nomen [1] omnis Hispaniæ fuisse volunt; alii hanc urbem cum Tarso in Cilicia, alii tandem cum Carthagine confundunt. Apud sacros et profanos rerum scriptores multa de hoc oppido dicta sunt. In occiduis Phœnicum coloniis nullæ nobiliores erant quam Hispanicæ : præter aurum et argentum, plumbum etiam ferrumque suppeditabant. Ex iis maxime antiqua et opulenta erat Tartessus divitiæque Tartessiorum regum in proverbia abierant.

Ea urbs mature periisse videtur Strabonisque tempore jam de ejus situ nominisque ambitu minime constabat. Ad Herculis columnas eam fere omnes posuerunt : alii ad ostia fluminis Bætis, cujus nomen prius Tartessus fuerit, alii ad promontorium Calpen, ubi fuit Carteia, locaverunt urbem de qua disputamus. Tartessum in conventu Gaditano fuisse dixit Plinius, atque hoc nomen vetus Gadium fuisse asserit.

In tot tantisque dubiis, vir sapiens quidam [3], in hoc forsan sapientior, Tartessum interpretatur locum remo-

[1] Ex Eusebii sententia, Ταρσεῖς *Iberos* interpretatur Bochartus, III, 7.

[2] V. Hesychii Lex., t. I, p. 759, et t. II, p. 135. Hunc fluvium Certim appellabant Gaditani : Liv., XXVIII, 22; Plin., *H. n.*, III, 1 et IV, 36.

[3] Quatremère, *Mém. sur le pays d'Ophir*. Volney, *Nouvelles recherches sur l'histoire ancienne*, I, p. 721 et p. 949.

tissimum, ultimum litus, cui naves appellere possint. Quod non multum abest a Suidæ opinione, qui existimabat urbem esse in Oceano sitam vicinam Averno lacui, quod quidem renovatum erat ab antiquis scriptoribus, quibus Tartarum et Tartessum simul conferre placuit. Ut Ophir aurum significabat, Tartessus e Josephi sententia chrysolithos vel topazios erat.

Cum is opinionum concursus sit, hæc dicere ausim. Ex origine nominis, ex oppidi situ, Tartessus Cartejæ nomen antiquius videtur fuisse; sensim vicina regio Tartessia vocata est, unde Gaditani et ipsi Tartessii appellari potuerunt.

Tyro Herculis sacra jussi in Hispaniam per quietem transtulerant urbemque condiderant Gaditani. Sed novæ urbis incrementis invidentibus finitimis Hispaniæ populis belloque propterea lacessentibus, a Carthaginiensibus consanguineis auxilium petiverunt. Qui quidem felici expeditione et Gaditanos ab injuria vindicaverunt et majorem provinciæ partem imperio suo adjecerunt [1].

Primo bello Punico, amissa Sicilia atque Sardinia, cum damnum illud resarcire conarentur, Hispaniam occupaverunt Carthaginienses, donec ad Iberum Asdrubal, Hamilcaris gener, icto cum Romanis fœdere, constiterit. Tunc Gades Carthaginiensium fuit cum omni regione quam Bætis flumen alluit [2].

Secundo autem bello Punico, duris reipublicæ tempo-

[1] V. Justin., XLIV, 5.
[2] Liv., XXVIII; 1.

ribus, cum præpotens terra marique Carthago nisa duabus Hispaniis imperio Romano immineret et Gneius et Cornelius Scipiones jam occidissent, ad Publium Scipionem qui Carthaginem novam ceperat atque res Romanas virtute ac prudentia in meliorem statum restituebat, perfugæ Gadibus venerunt pollicentes se urbem Punicumque præsidium cum classe esse proditurós [1]. Fide accepta dataque perfugis, L. Marcius eo cum expeditis cohortibus, et Lælius cum septem triremibus et quinqueremi una est missus ut terra marique communi consilio rem gererent. Patefacta vero immature traditio comprehensosque omnes Mago Adherbali prætori Carthaginem devehendos dedit. Mago, quantum potuit, a Gadibus exegit, non ærario tantum eorum, sed etiam templis spoliatis et privatim omnibus coactis aurum argentumque conferre. Querens quod portæ sibi, socio atque amico, clausæ forent, suffetes, qui cum quæstore Romano ad colloquium venerant, verberibus laceratos cruci affigi jussit. Quamobrem Hispani a Carthaginiensibus semper lacessiti ac spoliati et coacti ut majores in diem divitias pluresque milites darent, Romanos, tanquam liberatores, moderatius agentes, accipere assueverunt. Itaque, post Magonis ab Oceani ora discessum, dum, insulis Balearibus captis, in Italiam tendebat, sponte sua Romanis Gaditani deduntur : tunc L. Marcus primipilus cum eis fœdus icisse dicitur [2]. Sine dubio obsides dederunt

[1] Id., ibid., 23.

[2] V. Liv., xxviii, 30-37. Cic., *Pro Balbo*, xv.

Gaditani. Post inutilem Indibilis ac Mandonii rebellionem petiverunt, a. 553, ut ii redderentur, nec Gades mitteretur præfectus, adversus quod sibi in fidem populi Romani venientibus cum L. Marcio convenisset. Quod remissum est [1].

Cum L. Marcio sponsio aut, ut vere dicam, pactio tantum facta erat, a. 546 [2]. M. Lepido Q. Catulo coss. a. 675, fœdus proprie ictum est, sed neque æquum, neque sacrosanctum, ut asseverat Cicero pro Balbo locutus. Ex fœdere amicitia confirmata est, auxilia et aurum promiserunt, nihil exceptum fuit de civitatis jure.

Fidem datam servavere Romanis Gaditani : Catonem Gracchumque et Scipionem Æmilianum atque Pompeium opibus ac copiis juverunt, minime autem faverunt Viriatho, Sertorio atque aliis Romanorum inimicis.

Cum Cæsar in Hispania prætor esset, ipsorum permissu jura statuit, inveteratam quamdam barbariam ex Gaditanorum moribus disciplinaque delevit atque summa in Gaditanorum civitatem beneficia, Balbi rogatu, contulit [3]. Postquam a Varrone Gallonius oppido præfectus missus est, eum Gaditani expulere atque urbem insulamque Cæsari servaverunt. Cæsar Gaditanis gratias egit quod adver-

[1] Liv. xxxii, 2.

[2] Liv., xxviii, 23. Attamen L. Marcius in Hispaniam jam anno 540 devenerat. V. Liv., xxv, 37 sqq.

[3] Gaditani litteris Romanis adeo studuerunt ut Gaditanus quidam Livii nomine gloriaque commotus, ad visendum eum Romam venerit, statimque, eo viso, abierit. V. Plin., *Ep.* ii, 3, 8. Columella Rufusque poeta Gadibus nati sunt.

sariorum conatus infregissent seseque in libertatem vindicassent atque pecunias monumentaque quæ ex Herculis fano in privatas Gallonii ædes collata erant, referri in templum jussit. Deinde, ob constantiam et amicitiam, Gaditanos Cæsar civitate donavit [1].

Ea fuit Gaditanorum fortuna. Qui quidem, quanquam sanguine et origine cum Carthaginiensibus conjuncti erant, propter avaritiam ab eisdem defecerunt Romanorumque amicitiam petierunt. Primum, sponsione facta, quasi in futurum prævidentes, ad Romanos venerunt ; deinde, cum, Carthagine eversa Hispaniaque perpetuis bellis vastata, societas cum Romanis spem salutis firmiorem eis afferret, icto fœdere, hanc præcipuam sortem habuerunt ut Pompeio æque ac Cæsari amici habiti sint et eorum beneficiis pariter usi fuerint. Inter eximios ac præstanti ingenio viros qui hanc prudentem agendi rationem suaserunt, sine dubio annumerandus est Balbus.

[1] Cæs., *B. c.*, II, 20 et 21.

CAPUT III

De jure civitatis ex Ciceronis sententia. — De lege Gellia ac Cornelia, cujus gratia a Pompeio Balbus civitate donatus est.

Cum confirmare conemur haud injuria Balbum civitate donatum esse, de lege Gellia ac Cornelia, qua Pompeius usus fuït, disputandum sane est. At necesse est primum revocare in animos quibus viis ad civitatem peregrinis aditus esset, quid de civitatis jure putaret Tullius; tunc ex lege, de qua agitur, civem Romanum Balbum legitime fieri potuisse minime in dubio erit.

Non modo in oratione pro Balbo, sed etiam in oratione pro Archia atque in quibusdam aliis libris optima a Cicerone de iis rebus dicta sunt.

Nescio quid superbi animo recurrit quoties hæc verba, civitatem Romanam, audimus. His enim vocibus inter Romanos ceterosque homines insuperabile fit discrimen,

quo illi ab his secernuntur, quasi genus medium inter mortales atque Deos. Cultu ac religione a ceteris gentibus primum abhorrebant Romani. Etenim civis is est qui patriis sacris adest; impius autem qui hæc sacra deserit, ut Clodius : peregrinus contra in templa introire plerumque non potest, quoniam sacrificia pura ab oculo profano servanda sunt. Quidquid hostium tactu pollutum fuerat, virtute sua quasi spoliatum ac destitutum videbatur, nec jam Romanorum erat, nisi piis cæremoniis labes deleta esset. Unde fiebat ut civis unus res suas vere possideret frueretur que jure legitimi dominii, seu jure Quiritium, ad quod jus omnia fere alia referri posse, velut ad fontem, videntur [1]. Civis et liber ab omni vi, quæ corpori aut bonis infertur, immunis erat Romanus. Itaque cum in medio foro, Messanæ, civis Romanus, jussu Verris, virgis cæderetur, hoc tantum reclamabat : « Civis Romanus sum, » quasi hac civitatis commemoratione omnia verbera depulsurum cruciatumque a corpore aversurum se arbitraretur [2]. Libertas cum civitate arctissime conjungitur et, si semel adimi civitas potuit, libertas retineri jam non potest [3]. Quamobrem civis Romanus nobilissimam ac latissimam libertatem sibi vindicare solitus erat, nec jugum

[1] V. *Pro Mil.*; *Ad Att.* II, 12, 2, etc. — Conf. Fustel de Coulanges, *La cité antique*, p. 57.

[2] *In Verr.*, V. 62, 63. Lege Porcia cautum erat ne quis civem Romanum vinceret, aut verberaret, aut necaret. *Pro Rab.*, 4. — Conf. Liv. x, 9.

[3] *Pro Cæc.*, 33.

ullum subibat, nisi legum quæ jussu ac voluntate populi latæ fuerant.

Privilegia autem maxima quibus Romani cives ceteris anteibant, tum publica, tum privata erant. In privatis quidem : connubium, commercii jus, testamenti factio; in publicis vero : jus honorum, jus suffragii. Connubio justæ nuptiæ fiebant, ex quibus multa jura ducebantur, patria potestas, agnationis vincula, etc.; commercio, res acquisitas jure civili suas faciebant aut alienabant et sese invicem pactis ac conventis obligabant; quibus erat factio testamenti, hi tantum heredes instituere aut institui poterant [1]. Creare magistratus et honores adipisci civibus modo licuit. Inter publica jura, hæc quoque numeranda quæ libertatem tuentur : jus provocationis, appellatio, tribunicium auxilium. Census et militia jura simul et obligationes visa sunt. His omnibus rebus constabat quod vocatur optimum jus.

A natura sæpe abhorruerunt Romani scribendo leges, quas sibi proprias servabant, nec cum aliis, nisi summa difficultate, communicabant. Cum cognoscere nunc liceat quid proprii habeat civitas, annotandum est qua ratione cives fiant, quod maxime Balbi oratorisque interest. Tribus quidem modis ad civitatem pervenitur : ortu, manumissione justa, civitatis donatione.

Connubio interveniente, liberi semper patrem sequuntur; non interveniente, matris conditioni accedunt [2].

[1] Ulp., XIX, 4 et 5; XX, 10, 13; XXII, 1, 2; *Instit.*, III, 13.
[2] V. Dion. Hal. IV, 22; Ulp., V, 8, 10; Gaius, I, 78-79; Plut.,

Haud semper, postquam ex justo servitio manumissi erant, servi civitatem simul atque libertatem adipiscebantur. Ut ita fieret, necesse erat ut dominus servum ex jure Quiritium haberet civitasque novum civem juberet ascribi : quod usu veniebat, censu, vindicta, testamento. Deinde legibus Ælia Sentia ac Julia Norbana latis, tres libertorum ordines distincti sunt : *liberti*, qui libertate ac civitatis jure simul fruuntur ; *dediticii*, qui libertate tantum ; *Latini Juniani*, quibus non libertas modo, verum etiam aditus plures ad civitatem obtinendam dantur. Qui quidem militia, nave, ædificio, pistrino, iteratione, liberis, beneficio principali cives fiebant [1].

Tanti vero apud antiquos populos civitas Romana habebatur ut haud raro externi sese Romanis venderent servique fierent, ac deinde a domino manumissi, optatum jus obtinerent. Quin etiam liberos suos quibusquibus Romanis mancipio dabant in eam conditionem ut manumitterentur libertinique cives essent [2].

Initio jus civitatis communicandæ penes reges fuisse credimus. Postea populus sibi jus illud vindicavit civitatemque dedit, aut per legem, aut per plebiscitum, plerumque

Pericl., c. 55. — Lex de natis ex alterutro peregrino, Augusto regnante lata, quæ dicitur Mensia, Æliæ Sentiæ legi ita similis, ut eadem atque illa esse videatur, jubet civem ex duobus parentibus civibus nasci, ex alterutro autem peregrino natum deterioris parentis conditionem sequi.

[1] Ulp., III; Gaius, I, 13 sqq. ; 56 sqq.

[2] Liv., XLI, 8 ; Petr., *Sat.*, 57 ; Sueton., *Ner.*, 24.

e senatus auctoritate. At neque senatus, neque magistratus civitatis jus unquam concedere potuit, nisi aut populus id permisit, aut postea per legem confirmavit. Tullius vero in oratione pro Balbo nos docet quibusdam imperatoribus eam potestatem a populo per legem datam fuisse ut, quos dignos judicarent, eos possent civitate donare [1]. Injuria igitur mille Umbros Iguvinosque ac Spoletinos, in prælio ad Vercellas, cives Marius fecerat, cum nulla lege id permissum aut confirmatum esset, frustraque respondit se præ armorum strepitu non legem audiisse.

Hoc jus, vel ejus partes communicando, maxime egregium fortissimumque non solum sociorum, sed stipendiariorum quoque hostiumque et servorum quemque ad se arctissimo vinculo conjungere Romani solebant [2]. Post pœnam nocentium Bruti filiorum, ut in utramque partem arcendis sceleribus nobile exemplum foret, non pecunia tantum ex ærario libertasque, sed civitas etiam data est servo Vindicio qui juvenum de recipiendis regibus consilium detexerat [3]. Nunc urbibus totis ac populis universis, nunc viro uni civitatem largiuntur Romani : ita factus

[1] *Pro Balbo*, VIII, 19 ; Liv., IV, 4; Vell. Pat., II, 16 ; Dion. Hal., I, 9 ; II, 1.

[2] Livius nos docet (XXXVIII, 36) connubium Campanis et jus suffragii Formianis Fundanisque municipibus et Arpinatibus separatim fuisse impertitum, atque eodem loco populi esse non senatus jus suffragium, quibus velit, impertiri, esse scimus.

[3] Liv., II, 5. — Eadem promissa fuerunt de Catilinæ conjuratione detegenda.

est civis Ennius [1]. Lege Apuleia, quo coloniæ erant deducendæ, Mario permissum est ut ternos cives Romanos in singulas colonias facere posset [2].

Item Gellius et Cornelius, ut vidimus, e senatus sententia, legem tulerunt, qua cives Romani essent quos Cn. Pompeius, de consilii sententia, singillatim civitate donasset [3].

Populus igitur imperatoribus aliquid potestatis suæ attribuebat, at semper lege quadam certa hoc ratum fuit. Sic per legem confirmavit postea populus civitatis jus Gaditanis a Julio Cæsare concesssum [4]. Cum, post mortem, Cæsaris acta generatim essent probata, hoc colore multis civitatem dedit, aut potius vendidit Antonius, quasi a Cæsare esset data [5].

Fœdere Sabino, hostes primum in civitatem, Romulo principe, recepti sunt. Deinde, sive colonias deducendo, sive civitatem quibusdam populis tribuendo, Latinos Italosque subegit senatus. Post Romam a Gallis captam, Veientibus, Capenatibus ac Faleriis civitas data est. Victoria ad Veserim relata, Cumani, Suessulani, Atellani, Acerranique jus Cæritum, id est, sine suffragio civitatem obtinue-

1 Cæsar medicos et artium liberalium magistros civitate donavit. Suet., *Cæs.*, 42.

2 *Brutus*, xx, 79 ; *pro Archia*, x, 22; Val. Max., v, 2.

3 *Pro Balbo*, viii, 19 ; xxi, 47.

4 Cæs., *b. civ.*, ii, 20 et 21.

5 Cic., *Philip.*, v, 4, 11 et 12 : « Quum quæ vendebat Antonius, ea se ex actis Cæsaris agere diceret. — Conf. Plin., *H. n.*, v; Dion. Cass., 41 et 45.

runt. Æquî vero, ob auxilium adversus Samnites latum, jure optimo fuere [1].

Cum pugnando ad civitatem pervenire frustra conati, sæpe a senatu partis fraudati essent, post calamitatem Drusi qui sociis civitatis jus tribuendum esse censebat, anno 654 et insequente, Italicos, quamvis victos, civitate donaverunt Romanique agri privilegia communicata sunt : unde ortum jus italicum [2].

Lex Julia de civitate cum sociis ac Latinis communicanda lata est a L. Julio Cæsare qui consul cum P. Rutilio Lupo fuit a. 664. Cujus quidem legis hoc caput erat ut ad eos tantum populos hoc beneficium pertineret qui *fundi* [3] facti essent, id est, ut liberum esset cuique sociorum Latinorumque civitati utrum vellet hoc beneficio uti necne [4]. Multi igitur Heracleenses ac Neapolitani hoc præmium respuerunt. Jam a. 627, Samnites ac Peligni quatuor millia suorum repetierunt, qui jure Latino Fregellis fruebantur, mox civitatem pleniorem adituri. Lex Plautia Papiria a M. Plautio Silvano et C. Papirio Carbone Arvina lata est a. 665, ut omnes, qui essent ex fœderatis populis, civitatem Romanam consequerentur, si modo illo tempore,

[1] Novi cives plerumque in tribus, quæ suffragium ultimæ ferebant, adscribebantur. V. Liv., LXXXIII, 36 ac passim, apud quem multi similes loci insunt, ubi de civitate acquirenda agitur.

[2] *Pro Balbo*, VIII, 21.

[3] Vide infra.

[4] Conf. Sigonium, *De ant. jur. Ital.*

quo lex lata esset, domicilium in Italia haberent et intra diem sexagesimum professi apud prætorem fuissent [1].

Ut civitatem conferebant Romani vel totam, vel pro parte tantum, ita singillatim, id est, singulis viris, aut universis oppidis [2]. Parce ea largitione primum usi fuere; quosdam sibi alligabant, quo facilius ceteris imperarent. Frequenter enim, in Sicilia, exempli gratia, quoniam vim atque potestatem cujusque civitatis senatus habebat iique demum senatores erant qui opibus aut genere plurimum valerent, hos primum privilegiis et honoribus, vel etiam data civitate, Romani conciliare sibi solebant [3]. Multum autem interest utrum singulis hominibus, an universo populo civitas data sit. Si singulis hominibus modo datur, non ad eorum bona id pertinet : ex quo fit ut prædia provincialia maneant, cum ipsi domini cives Romani facti sint; sin autem integro alicui populo hoc eximium jus conceditur, non modo omnes qui eo tempore hujus urbis cives sunt cum eorum posteris simul civitatem consequuntur, sed omnes etiam qui postea in tali oppido civium numero, justo modo, ascribentur [4].

Itaque summa arte præmia variabat senatus dignitatisque quasi gradus constituebat inter eos, quos ad rempu-

[1] *Pro Archia*, IV, 7.

[2] Liv., III, 29.

[3] *In Verr.*, IV, 11, 17, 22. — Conf. Dareste, *De forma et conditione Siciliæ*, p. 20.

[4] *Pro Archia*, IV, 6.

blicam allicere nitebatur, ita ut alteri in civitatem penitus introirent, alteri contra, quasi e longinquo, aspectum tantum urbis haberent. Necessitate enim, magis quam affinitate, civitatem cum aliis populis, præsertim cum Latinis, communicaverunt Romani. Facillime deinceps Latinis et Italicis gentibus civitatis jus tribuit senatus, non sine ullo tamen discrimine; his enim plenum jus, illis civitatis jus nudum, sine suffragio, concedebant; aliis Latii jus, privilegiis majoribus minoribusve instructum ornatumque, oppidis denique quibusdam jus italicum [1].

At Latinis multæ viæ ad civitatem patebant. Primum civitas data fuit Latinis qui in urbe sua magistratum gessissent. Deinde Latinis qui Romæ stirpem ex se domi relinquerent lege concessum est ut cives Romani fierent. Spreta lege, brevi in civitatem, per migrationem et censum, transiere. Hanc novam viam eis aperuit lex Servilia, anno 643 : quicumque repetundarum Romanum magistratum accusaverat et causam obtinuerat, civis Romanus ascribebatur. Sic facilius semper civitatem adepti fuerunt Latini, unde natum est jus latinum, quod sæpe oppidis atque totis etiam provinciis, Galliæ Transpadanæ Hispaniæque, exempli gratia, concessum fuit [2].

[1] Minime enim hoc jus ad personas, sed ad urbes modo pertinuisse videtur, ut putat Savinius. — V. Liv. VIII, 17 et 21; IX, 43; Cic., *Ad Att.*, IV, 11, 2; Gaius, I, 95; Ulp., XIX, 1; *Leg. Salpens*, 21-23; Tergest. Decret. in *Corp. inscript.*, V, n° 532; Ap., *B. civ.*, II, 26; *Instit.*, II, pr. 6 et 8. — Conf. Villatte, *De propagatione civitatis Romanæ*, p. 47-48, Bonn 1870.

[2] V. Plin., l. III, 14, 3 et 8. et Gaium I, 95-96.

In suffragii jure concedendo asperiores fuerunt Romani. Latinis Romæ incolis suffragia ferre sine dubio licuit [1]. Plerumque vero civitas sine suffragio Italicis gentibus dabatur. Campanis, quia cum latinis rebellare noluerant, Fundanis Formianisque, quod per eorum fines tuta pacataque semper via fuerat, civitas, sine suffragio tamen, est concessa [2]. Deinde eorum minus fida amicitia fuit. Nam, cum Privernatibus Romanos bello lacessentibus se sociant. Mox vero orant veniam, quam, post deditionem, obtinent. Deinceps in Romanos meritorum memoria unice servata fuit [3]. De Formianis Fundanisque municipibus et Arpinatibus Valerius Tappo, tribunus plebis promulgavit, uti iis suffragii latio (nam antea sine suffragio habuerant civitatem) esset. Huic rogationi quatuor tribuni plebis, quia non ex auctoritate senatus ferretur, cum intercederent, edocti populi esse, non senatus jus, suffragium quibus velit impertiri. destiterunt incepto. Rogatio igitur perlata est, ut in Æmilia tribu Formiani Fundanique, in Cornelia Arpinates, suffragium ferrent. Atque in his tribubus tum primum ex Valerio plebiscito censi sunt [4].

[1] Etenim hoc e diversis scriptorum locis constat. Titus Livius, l. xxv, c. 3, ait : « *Tribuni populum submoverunt cistellaque allata est ut sortirentur ubi Latini suffragia ferrent.* » — Conf. App.. *b. civ.*, i, 23. Ex lege Malacitana § 53 : « *Quicumque in eo municipio comitia habebit, ex curiis sorte ducito unam, in qua incolæ, qui cives Romani Latinive erunt, suffragium ferant.* »

[2] Liv., viii, 14.

[3] Id. *ibid.*, 19.

[4] Id., xxxviii, 36.

Hoc exemplo intelligere est quam prudenter præmiis eximiis vicinos suos Romani sibi devincirent. Latio primum, deinde toti Italiæ potestatis et majestatis aliquid Urbs impertita est. Provinciales, quamvis liberi essent et servis potiores, nulla propria sibi jura habebant arbitrioque Romanorum regebantur, neque res suas jure possidebant, sed pro suo, tantum in bonis habebant [1]. Quanquam peregrini sæpe nominantur provinciales imperio Romano subjecti, hæc vox tamen pertinet ad eos qui ex civitatibus, sive fœderatis, sive nullo fœdere cum Romanis conjunctis, Romæ ad tempus commorabantur [2].

Initio peregrinus ac perduellis idem erat; paulatim hostis nomen datur populo quocum Roma bellum gerit, barbarique ei qui extra orbis cogniti fines situs est. Attamen non libenter Romani peregrinis unquam aliquid tribuebant ac severe eis semper utebantur.

Quamquam Cicero (*De off.* III, 11), usu urbis prohibere peregrinos sane inhumanum esse putat, fatetur tamen rectum esse « non licere esse pro cive qui civis non sit. » Itaque, ut Athenis μέτοικος προστάτην, ita Romæ peregrinus patronum aut hospitem eligere solitus erat atque ei sese applicabat, et, quemadmodum illis *archon polemarchus*, sic peregrinorum prætor his jus separatim dicebat. Sæpe igitur virum excellentem quemdam legebat gens, ut magni

[1] Gaius, I, 54.

[2] Varr., *De l. l.*, l. 5, § 3.—Conf. Festum, *De verb. sign.*; *Dig.* L., 16, 234.

nominis umbra protegeretur et oratorem ad jura defendenda semper paratum haberet. Ita Cicero Siculorum amicitiam plurimi habuerat, ita hospitium publice cum Balbo, e Gaditano jam cive Romano facto, fecere Gaditani [1].

Hoc erat quoque in eo, de quo disserimus, præcipuum : nemo poterat et Romanæ civitatis esse et cujusvis præterea ; qui autem se alii civitati dicavit, non amplius Romanæ est [2]. In græcis autem civitatibus, Athenis imprimis, Rhodios Lacedemoniosque homines aut alios undique ascribi posse multarumque civitatum eosdem viros fuisse satis nobis constat. Nil simile in jure Romano. Cum imperiti homines Romani in judicum atque Areopagitarum numero fuissent, Romanam civitatem perdiderant, Atheniensem quidem adepti, nisi postliminio recuperassent [3]. Nemo invitus civitate mutatur, nemo in civitate manet invitus; ut ex omnibus civitatibus patet in Romanam via, ita Romanis civibus apertum ad ceteras iter erat. Hæc fuere firmissima libertatis fundamenta : sui quemque juris et retinendi et dimittendi dominum esse. Negat igitur Cicero civitatem invito adimi posse [4].

[1] *Ad Quint.*, II, 12 ; *Pro Dejot.*, 6 ; *In Verr.*, II, 4, 22 ; Plaut., *Pœn.*, V, 1, 25 ; *Ad Att.*, XIV, 22 ; *Pro Balbo,* XVIII, 42.

[2] *Pro Balbo,* XI et XII ; *Pro Archia,* V ; *Pro Cæc.*, XXXII sqq. ; Plut., *Sol.*, 29 et 32 ; Thucyd. I, 2.— Galli, qui civitatem sollicitabant, Deos patrios renuntiabant.

[3] Aliquid haud absimile in nostro politico ac civili jure adhuc reperire est. Cf. *C. Civ.*, 17 et 18.

[4] *Pro Balbo,* XI, 28 ; *Pro Cæc.*, XXXIII - XXXV ; *Pro domo,* XXIX-XXX ; Liv., XLV, 15, etc.; *Topic.*, VIII ; Gaius, I, 129 ; *Dig.*, 49, 15 ; Hor., *Od.*, III, 5 ; *Instit.*, I, 12, 5.

Nequidquam viri eloquentes, ut Cotta, contra dicebant Sullæque decreta defendebant, quibus Arretinis Vollaterranisque et aliis civitas esset adempta. Nil jus contra jus valet atque hæc in ipsa Sullæ lege scripta sunt : « *Si quid jus non esset rogarier, ejus ex lege nihilum rogatum.* » Cum civitas cuidam data sit, nullo modo rursus adimi potest. Frustra censor, injussu populi, cuiquam homini suffragii lationem eripere voluit. Quin etiam ipse populus non potuisset, quoniam non semper ei licet abrogare quod semel rogatum ac probatum est.

Quemadmodum, si populus jusserit aliquem esse servum, qui non servus sit, id justum, ratum atque firmum non est, sic civitatem, quam semel alicui dederit, ab eodem resumere non potest. Itaque non diutius quod de civitate decreverat Sulla valuit, quam ipsius arma valuerunt. Nulla ratio, ut optime aiebat Cicero, afferri potest cur, si cuiquam novo civi potuerit adimi civitas, non omnibus patriciis, omnibus antiquissimis civibus possit [1].

Qui in colonias latinas proficiscuntur, sua voluntate Latini fiunt atque, ut mulctam effugiant, sæpe nomen dant.

Quem vero, quia miles factus non est, aut censum fugit, vendit populus, non ei civitatem eripit, sed nunquam civem fuisse judicat. Neque enim liber, neque civis qui, ut liber ac civis sit, periculum adire noluit, aut qui sibi libertatem sponte sua aut negligentia abjudicavit, cum servi tantum censu liberentur. Ne exilio quidem civitas adimi-

[1] *Pro Cæc.*, 35.

ter. Nam exilium supplicium non est, sed perfugium portusque supplicii : non adimitur igitur civitas eis qui, ut vincula necesque et ignominias vitent, sedem ac locum mutant, sed potius ab iis relinquitur ac deponitur [1]. Sin autem legis vim in civitate subire vellent, non prius civitatem quam vitam amitterent.

Exilium vero, ob patriæ caritatem, ita durum videbatur ut nonnumquam in civitate supplicium solvere quam in externa regione vivere mallent. Itaque haud minus acerbum esse exilium quam mors existimabatur, atque jurisconsulti capitali pœna affici eum qui e civitate exire cogeretur, dicere solebant.

Quamvis vera dicat Tullius noster, subtilius tamen interdum loqui videtur. Nam is, exempli gratia, quem pater patratus hostibus tradit, ut religione civitas solvatur, non sponte sua se civitate abdicat; cui aqua et igne interdicitur, solum non vertere non potest; qui denique ab hostibus captus est, servus necessario fit, nisi eodem bello ad suos redeat et postliminio fruatur. At argutiis indulgebat Romanorum ingenium et quodam modo dici poterat libertatem ac civitatem nemini invito adimi posse. Hoc notandum præsertim est : nullum civitatem prius amittere quam in alteram acceptus sit. Itaque nequidquam jure feciali Numantinis Mancinus deditus est, cum eum illi non acceperint : haud postliminio civitatem, ut putat Cicero, recuperavit, sed integrum jus semper re-

[1] Liv., xxv, 4.

tinuerat, quamvis senatus decreto civitate privatus esset [1].

De civitatis jure neminem eloquentius quam Ciceronem disputasse, nobis fatendum est. Minime dubium esse potest, ex lege Gellia ac Cornelia, Pompeii gratia civitatem adire Balbo licuisse [2].

[1] *Pro domo*, xx ; *Top.*, viii ; *De orat.*, i, 40 et ii, 32. — Conf. Ulp., x, 3; Gaius, i, 128 ; *Dig.*, l. 49, t. 15 ; *Instit.*, i, 12, 1 et 16, 2.

[2] De civitatis jure vide quoque : Beaujon, *De variis modis quibus variis temporibus jus civitatis Romanæ acquiri potuerit*. Lugd. Batav., 1845 ; Lindet, *De l'acquisition et de la perte du droit de cité romaine*. Paris, 1879. — De eisdem, Oudart, Paris, 1880 ; Grenouillet, Paris, 1882.

CAPUT IV

De populis fœderatis et de fœdere Gaditano.

Inspicere nunc licet quo jure, ex fœdere, fruerentur Gaditani, utrum exceptum aliquid esset de civitate, necne. Quem autem locum obtinuerint Gaditani inter populos diversos, quos aut arctioribus, aut laxioribus vinculis Romani sibi adjungere solerent, definire necesse est.

Primum nobis invisendæ sunt coloniæ, quorum duo genera distinguebantur. Coloniæ Romanæ, sive togatæ, cum duumviris suis et sua curia, quasi parva urbis effigies ac simulacrum [1]. Jura quidem institutaque omnia populi Romani, haud sui arbitrii habent. Delectus in iis perficitur atque earum incolæ in legione stipendia faciunt. Optimo jure sunt, quanquam suffragium raro ferunt, cum domici-

[1] Gell., xvi, 13.

lium Romæ non habeant [1]. Lege aut senatusconsulto facti triumviri aut quinqueviri libertos plerumque ac proletarios colonos adscribebant atque iis ademptum hostibus agrum, aut totum, aut parte prioribus incolis relicta distribuebant.

Coloniis latinis Latii jus tantum erat. Quas quidem consul vel imperator instituit adscribitque sive Latinos, sive alios homines; lege aut formula definitur quanta pecunia et quot milites a coloniis latinis, velut a sociis, quotannis dentur. Itaque cives Romani qui in colonias latinas proficiscebantur, quasi mulctabantur et capite deminuebantur [2]. Quare etiam e latinis colonis illis, nonnulli interdum civitate rursus donati fuerunt. Lege Apuleia Saturninus tulit ut in singulas colonias ternos cives Romanos facere posset Marius [3].

Municipia autem, sive in Latio, sive intra aut extra Italiam constituta, oppida erant quibus in beneficio civitas collata erat [4]. Cum iis jura privata communicabant Romani, publica reservabant [5]. Hoc præcipue a coloniis differebant municipia, scilicet ut legibus suis propriis et suo jure

[1] Liv., XXIX, 15 et XXVII, 9. — Conf. Chambellan, *Hist. du Droit français.*

[2] Liv., XXVII, 9 et XXX, 15; *Pro Cæc.*, XXXIII, 98; *Pro Balbo*, XXI.

[3] Velleius Paterculus enumerat colonias a Romanis deductas gentesque quibus data est civitas. L. I, § 14 et 15. — Conf. Plin., *H. n.*, l. III.

[4] Sive antea armis submissa, sive fœderata.

[5] Gell., XVI, 13, 6.

uterentur, velut ex lege Antonia de Termessibus cernere est[1]. Formulam aut legem accipiebant municipes a Roma, quæ iis tanquam altera patria videbatur.

His enim Roma summa respublica; municipium, respublica municipalis erat[2]. Sicut ærarii, tributum pendebant, merebantque in legione, sed non dignitates capiebant[3]. Optimum vero jus facillime obtinuere : Tusculani meram civitatem nacti sunt primi, deinde Lanuvini, Aricini, Nomentani, Pedani, etc. Ex municipiis oriundæ gentes Romæ nobilissimæ fuerunt : Curii, Coruncanii, Porcii, Pompeii, Marcii, Tullii, etc[4]. Tunc municipes fuerunt, qui, quanquam non origine, optimo tamen jure fruebantur adscribebanturque in aliqua tribu Romana. Inde mentio tribus cujusdam in tumulis in Gallia et in Hispania repertis[5].

[1] In *Corp. Inscript.*, I, 114 sqq. ; in *Novo Enchiridio*, Giraud, p. 609.

[2] *De leg.*, III, 16 et II, 2, 5.

[3] Interdum ex iis integræ legiones deligebantur, ut legio Campana. Willems, p. 107 ; Liv., XXIX, 37 et XXIV, 18. — Conf. Montesquieu, *Gr. et Dec.*, c. 9 ; Duruy, *Hist. Rom.*, t. II, p. 178 ; Mommsen, t. V, 190.

[4] Liv., VI, 26 et VIII, 14 ; Cic., *Pro Planc*, VIII.

[5] Ex lege Julia municipali, quam Savinius in tabula Heracleensi inscriptam agnovit, videre est nobis quo modo Julius Cæsar Italicis municipibus universa jura definiat. Qui magistratum municipalem gesserant, uno anno postquam magistratu abierant, cives Romani fiebant. — V. Giraud, *Nov. Ench.*, p. 613, 617, 628, 631 ; tabulam Heracleensem, legem Galliæ Cisalpinæ, tabulas Salpensanam et Malacitanam. — Dig., L, 11. — Conf. Reinach., *Man. philol.*, p. 287 ; Willems, p. 364-366.

Præfecturæ autem municipia aut coloniæ erant quibus præfectum miserat Roma, ut jus diceret, tanquam in urbe prætor. Ipsa Capua a Romanis petiit magistratus qui ægris intestina discordia rebus auxilium ferrent [1].

Præter colonias municipiaque aliud fuit oppidorum genus, scilicet fœderatorum [2]. Neque enim semper in deditionem victos accipiebant Romani. Scimus ex variis locis quam duris conditionibus sese dederent debellati. Nobis Livius formulam servavit qua legati oratoresque a populo Collatino missi se dederint populumque Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque [3]. Sin autem urbs adhuc manebat, nec solo adæquabatur, neque legibus suis, neque magistratibus utebantur et præfecti Roma missi arbitrio vivebant et quidquid patiebantur ut dediticiis patiendum erat [4]. Campi victoribus sub timendo coloniæ vexillo adsignabantur, aut

[1] Liv., IX, 20. — Municipis verbum obscurum jam ab ipsis latinis scriptoribus existimabatur. V. Gell., XVI, 13, 6. Conf. Varron., et Fest. — Ob hospitium publicum, quod Romæ et oppidis quibusdam commune erat, hanc vocem municipis ita intelligunt; *municeps*, a munere capessendo, is est qui beneficia pro hospite accipit (sic Willems, p. 363-366). Animadvertamus tamen hanc basim *mun* latine ac græce defensionem indicare, vel in virtute vel in mœnibus positam; itaque municipia, ob amicitiam, quasi muros solidos et inconcussos ante Romam positos fuisse aliquatenus credi possit.

[2] Primum in Italia fuere socii Tarentini, Neapolitani, Marsi, Peligni, Camertini, Tiburtini, Prænestini et pleræque Etruscorum civitates.

[3] L. I, 38; VII, 31; IX, 20; XXVI, 16; XXVIII, 34.

[4] Liv., I, 29.

ager populi Romani publicus factus a censoribus prioribus possessoribus locari solebat [1].

Sæpius vero amicitiam cum aliis populis faciebant [2]; paucissimæ tantum urbes, ut quinque Siciliæ civitates, Centuripina, Halesina, Segestana, Halicyencis, Panormitana, liberæ et immunes sine fœdere erant [3]. Fœdus vero non nisi sacrificio peracto invocatisque diis immortalibus jungebatur. Hæc a rerum scriptoribus et a poetis sæpe descripta sunt.

Apud T. Livium de fœderum ritu digna notatione leguntur. Ipse dux pacis leges dicebat, populi jussu lataque lege, et fetiales, sumpta ex arce herba sacra, ad fœdus faciendum ibant. Ut bellum indicebant, ita pacem confirmabant [4].

Interest autem utrum fœdere juncto, an nullo fœdere liberæ sint civitates. Fœderatæ quidem jure liberæ sunt; ubi fœdus non est, ibi libertas lege nova adimi potest; libertas ipso facto est, non jure [5].

Æqualia aut inæqualia fœdera erant. Raro cum populis aliis Roma fœdus æquum junxit. Cassianum fœdus tamen

[1] *Pro leg. agr.*, I, 6 et II, 32; *In Verr.*, III, 6.

[2] Sigonius, *De ant. jur Ital.*, II, 14.

[3] Dareste, *De form. et cond. Sicil.*, p. 13. — Conf. Cicer. *In Verr.*, III, 6.

[4] Liv. XXX, 43; I, 24.

[5] Liber populus is est qui nullius alterius populi potestati subjectus est. — *Dig. de capt. et postl. reversis leg.* 7 fr. I Proculi.

exemplo est [1], quo cautum est ut amicitia inter Romanos Latinosque esset, eosdem hostes haberent imperiumque alternis vicibus exercerent. Præter amicitiam e fœdere æquo natam, tunc jus exilii obtinebat civitas fœderata, ita ut civis Roma pulsus inter cives hujusce civitatis ascribi posset. Plerumque ne specie quidem fœdus æquum, cum hæc verba adjicerentur : « is populus majestatem populi Romani comiter conservato. » Hæc verba sunt imperantis, non æqualis. Perperam igitur Balbi accusator « comiter » dicebat esse « communiter » atque illud verbum atque hoc idem valere, quasi priscam et insolitam vocem interpretaretur [2].

Fœdera aut sacrosancta aut non sacrosancta erant ; sponsione, pactione, aut fœdere ipso icta. Ex fœdere nascitur societas, id est, auxilii ferendi obligatio, græce συμμαχία, aut amicitia sine belli societate. Pactio et sponsio fiebant per quoslibet magistratus ; fœdus autem, initio saltem, per solos fetiales [3].

Gaditani, cum sponsionem cum L. Marcio initam a. 546 esse renovandam censerent, a senatu de fœdere a. 676 postulaverunt. Sponsio nimirum neque populi jussu, neque senatus auctoritate, sed magistratuum et imperatorum

1 Liv. II, 33, 41 et XXXIV, 57. Fœderum exempla inveniuntur apud Livium : VIII, 25 ; IX, 20 ; XXVI, 24 et 39 ; XXXV, 16 ; XXXVI, 42, etc., et apud Gellium, IV, 4, etc.

2 *Pro Balbo*, XVI et XXIII. Dion. Hal., VI, 95 et VIII, 69, 72. — Conf. Græv., *Thesaurum*, loc. cit.

3 Observandum est fœderis verbo rerum scriptores usos esse ad maxime varias inter duos populos conventiones designandas.

arbitrio fieri solebat, ut apparet ex Livio IX, 41 : « Omne nomen Etruscum fœdus a consule petebat; de eo nihil impetratum; indutiæ annuæ datæ. Stipendium exercitui Romano ab hoste in eum annum pensum et binæ tunicæ in militem exactæ. Ea merces indutiarum fuit. *Ocriculani autem, sponsione cum consule Fabio facta, in amicitiam accepti.* » Simili conditione fuisse Gaditani atque Ocriculani videntur. Cum Vestinis petentibus amicitiam ictum est fœdus; Marsis parte agri mulctatis restituit amissos campos fœdus. Item cum Lucanis orantibus ut in fidem reciperentur protegerenturque adversus Samnites, fœdus jungitur. Cum Furcis Caudinis per sponsionem pax facta esset, neque auctoritate senatus, neque populi jussu rata, sponsores pacis dediti sunt. Fœdus quoque a Lutatio consule cum Hasdrubale factum est; quod quia neque auctoritate patrum, neque populi jussu pactum esset, se eo teneri negaverunt Romani [1].

Pactionis nomine significatur paciscendæ amicitiæ quædam ratio; sic cum hostibus indutiæ plerumque fuere [2]. Indutiæ primum cum Veientibus in centum annos, deinde in quadraginta; cum Volsiniensibus in vigenti; cum Cæretibus in centum factæ.

Sponsiones igitur et pacta nihil valebant, nisi lege rata, promissaque ab imperatoribus sæpius pro nihilo habuere

[1] Liv., x, 3; x, 11 et 12; IX, 2-10; XXI, 18; XXXIV, 35; Cic. *De orat.*, I, 40, 181; 56, 238; II, 32, 137; *De off.* III, 30, 109; *Top.*, 8, 37; *Pro Cæc.*, XXXIX, 98; *De har. resp.*, XX, 43.

[2] *De off.*, I, 10, 33; —Conf. Liv., I, 15; II, 14; V, 32, VII, 20.

Romani. Difficile mihi videtur discernere utra firmior esset pactione an sponsio. Si jurisperitos interrogamus, videmus sponsione usos esse Romanos in obligationibus, quæ verbis fierent, atque in ea sese obligandi forma aliquid sollemne et Romanorum proprium inesse. Pactionis autem verbum minorem vim habet, quia ad omnis·generis contractus pertinet [1].

« Ut fœdus sacrosanctum sit, a populo sanciri debet, deinde sanctiones sacrandæ sunt aut genere ipso, aut obtestatione legis, aut pœna, cum caput ejus, qui contra fecerit, consecratur. » Sic ait Cicero [2]. Item Festus « sacrosanctum dicitur quod jurejurando interposito institutum est, si quis id violasset, ut morte pœnas lueret. »

Nunquam de fœdere Gaditano populus Romanus sententiam tulit, ideo neque sacrosanctum erat, neque impium fuisset aliquid ab aliquo mutari : a L. Marcio centurione cum Gaditanis primum ictum fœdus a senatu tantum M. Lepido et Q. Catulo coss. renovatum fuit, at nusquam se populus obligavit.

Fœderis sanctiones, sive leges, religione sacrandæ sunt. Pater enim patratus ad jusjurandum patrandum, id est, fœdus sanciendum, postquam verbena tactus erat, Jovem orabat ut fœderis contemptorem feriret, sicut et ipse

1 Est pactio, ut ait Ulpianus, duorum pluriumve in idem placitum consensus. Pactum autem a pactione dicitur, inde etiam pacis nomen appellatum est. — *Dig.*, II, 14, *De pactis* ; id. Festus ; — Quæ si ita sint, invito scilicet Sigonio, pactum sponsione minus stabile fuisse dicere ausim.

2 *Pro Balbo*,, XXIV, 33.

porcum feriebat. Sic testes deos faciebat. Sæpe etiam in lege de fœdere lata, hæc tantum in fine adjiciebatur : « Qui contra fecerit, sacer esto. » Ubi igitur fœdus perfectum erat obtestatione et pœna, numine divino et populi jussu, violatoris caput devovebatur [1].

Maxime variæ fœderum conditiones fuerunt, nunc meliores, nunc pejores, prout Romæ placebat ejusque intererat. Post pugnam apud Regillum lacum, cum triginta Latii oppidis fœdus æquum est. Hernicis Volscisque victis, iniquo jure autem cum Latinis egerunt Romani. Sæpe ruptum fœdus rursus jungebant cum Latinis. Hi quidem prædæ dimidium exigebant privilegiaque diu negata obtinebant, donec Latinorum Romæque eadem fortuna facta est. Liberi socii Latini plerumque visi fuerunt nec dubitat Cicero dicere : « Latini, id est fœderati [2]. »

Hoc erat igitur nomen Latinum, quorum ambigua fides diu fuit et amicitia sæpe petenda armis. Ultro Lucani et Apuli, qui arma virosque polliciti erant, in amicitiam venerunt [3]. Quædam civitates, ut Heraclea, in quam ascribi se voluit Archias, ut ad civitatem Romanam ex lege Silvani et Carbonis perveniret, æquissimo jure usæ sunt [4]. Auctis viribus, insolentius, præsertim cum exteris gentibus,

[1] Liv., I, 24 ; Dion. Hal., III, 28.

[2] *Pro Balbo*, XXIII et XXIV. — Conf. Liv. II, 31, 41 ; Dion. Hal., VI, 95 ; VIII, 69, 72.

[3] Liv., VIII, 25.

[4] *Pro Archia*, IV.

agebant, nec fœdus prius jungebant quam in arbitratum, ditionem ac potestatem populi Romani venissent [1].

Si vero Siciliæ conditionem consideramus, constat cautum esse ut fœderatæ civitates, vectigalibus ac portoriis immunes, magistratibus legibusque suis ita uterentur ut quodam modo extra provinciam essent neque prætorum imperio obnoxiæ, atque aurum argentumque signare eis liceret [2].

Neque tamen omni publico onere exemptæ erant. Tributum enim conferebant, frumentum imperatum pretio dicto dabant, auxilia et naves ad provinciæ præsidium præstabant [3].

Nulla in Græcia civitas fuit quæ præsidium haberet aut stipendium Romanis penderet, aut, fœdere iniquissimo obligata, quas nollet, leges pateretur [4]. Quemadmodum leges aliis dabat, sic ab aliis quoque, sine dubio, ut Reipublicæ initio a Carthaginiensibus, conditiones Romæ accipiendæ erant. Quantum in se fuit, scriptores rerum nos eas celarunt. Ceterum, rebus minus feliciter gestis, ex pactis, quidquid Romæ expediret, probabat senatus;

[1] Cæs., *Bell. Gall.*, I, 27; II, 22; Cic., *Divin. in Cæcil.*, c. 5; *In Verr.*, I, 27.

[2] Vectigalia, annua stipendia, pendebant dediticiæ, vel stipendiariæ civitates. Tributum viritim pendebatur sine deditionis obligatione.

[3] *In Verr.*, II, 53; V, 21; Liv. XLV, 29. V. *Leg. de Termessibus* et conf. Dareste, *op. cit.*, p. 14.

[4] Liv. XXXV, 46; XLIV, 7; XLV, 26; Cic., *Pro domo*, IX, 23; *De prov. cons.*, II-IV; *In Pis.*, XVI, 37.

quidquid superbiæ officeret, pro rato non habebat. Cum victis libenter agebat atque eis, ut ipse aiebat, pacem dabat. Cum vero comiter populi Romani majestas conservanda esset, cum eosdem hostes et amicos habere eis injungeretur, species tantum potestatis ac libertatis re vera relicta erat [1]. Ubi enim cum Ætolis agitur, eis indicitur ut bellum sine mora cum Philippo habeant [2]; Rhodiis utuntur ad debellandum Antiochum atque eadem ratione totum terrarum orbem submittunt. Si pacem Carthaginiensibus, aut Philippo, aut aliis datam apud Livium requirimus, easdem leges fere semper invenimus : argentum, arma, naves victi tradant, ne senatus injussu bellum gerant, itaque ex hostibus, si placet, socii fiant [3].

Liberæ civitates αὐτονομίᾳ, legibus et magistratibus utentes, hospitia magistratibus militibusque Romanis præbebant : haud raro ad ordinandum liberarum civitatum statum legatus mittebatur. Post debellatum captumque regem Persea Macedonia in quatuor partes divisa est, et, quanquam libertas civitatum pronuntiata est, extra regionis suæ fines nemini connubium ac commercium licebat. Metalla quoque auri et argenti exerceri non potuerunt, ferri tantum et æris ; sale invecto non uti permissum est tributumque dimidium ejus, quod pependerant regibus, populo romano rursus pendere conati sunt [4]. Publicani

[1] Montesquieu, *G. et Dec.*, c. 6.
[2] Liv., XXVI, 24.
[3] Liv., XXX, 37 ; XXXIII, 30.
[4] *Ad Att.*, VI, 2, 4 ; *Dig.*, *De muner.*, l. III, § 13 ; Plin. *Ep.*, VIII, 24 ; Liv., XLV, 18, 29.

sociorum agrum invadere solebant, vectigalia ex iis, qui metalla exercebant, exacturi. Ubi autem, ut ipsi Romani confitebantur, publicanus est, ibi aut jus vanum, aut libertas nulla esse potest. Proconsules igitur in liberas civitates eadem fere ratione atque in reliquam provinciam regnabant, et, quæ vellent, quotannis edicebant. Sociis vero, ut peregrinis, patronus Romæ dabatur atque ab eis missi legati senatui Romano querimonias deferre poterant sæpius inutiles [1].

Paulatim inter socios subditosque discrimen omne est sublatum desitumque postea videri quidquam in socios injusti [2]. Avaritia proconsulum eversæ sunt provinciæ. Bona civium, ut prædam suam, hasta posita, vendebat Sulla Massiliaque, vexatis ac perditis exteris nationibus, portata, ut ait Tullius, in triumpho visa est, sine qua tamen imperatores Romani nunquam ex bellis transalpinis triumphassent. Fuit igitur illa laus Ciceronis eximia socios eloquentia tueri; satis enim in memoria habemus in Pisonem et in Verrem orationes missasque ad Atticum aut ad Quintum fratrem epistolas, in quibus hanc tutelam honestissimam esse dicebat.

Quemadmodum vero socios protegere Ciceroni placebat, sic de Romanorum jure nil minuendum esse censebat. Neque enim oratio pro Balbo adversatur in Verrem aut in Pisonem orationibus. Quidquid Reipublicæ interesse videtur, id sublimi sermone probat.

[1] *Pro Flacco*, xxii, 52.
[2] *De off.*, ii, 8, 27 et 28 et *Philip.*, viii, 6, 18.

Ex rebus supra dictis hæc manifesta apparent. Si Gaditanum fœdus attente inspicias, fatearis necesse est vere fœdus non exstitisse. Etenim cum centurione sponsio primum facta a senatu deinde confirmatur, nulla autem lege sancitur. Initio, Romanis Gaditani sese dederant; postea, obsidibus datis, pro amicis habiti sunt. Tunc nata est inter eos et Romanos amicitia, sine belli societate, per L. Marcium juncta. Obsides deinceps redduntur nec præfectus Roma Gades missus est. Postremo, multum post temporis intervallum, a senatu postulatum veniunt Gaditani ut amicitia Marciana renovetur : quod quidem impetratum est. Tunc sine dubio eisdem ferme verbis usi sunt atque antea : « Pia et æterna pax sit. Majestatem populi Romani comiter conservanto. » Itaque minime æquo jure de hoc fœdere cum Gaditanis egerant Romani, nec cives Gaditani alia conditione esse poterant atque universi fœderati. Nulla igitur fuit causa cur civitatem Romanam non adipisceretur Balbus ; nil opus erat ut Romani magistratus actum, id est, Balbum a Pompeio civitate donatum, approbarent Gaditani.

Quod etiam multo clarius videbitur, cum de populis fundis obscura quædam discutere licuerit.

CAPUT V

De populis fundis

Paulus Manutius, in nostræ orationis argumento, asseverat a Cicerone perversum esse sensum illius formulæ, *ut populus fundus fieret*, ut suæ causæ inserviret, atque ita disserit :

Tota causa fœdere pendet, id est, ab interpretatione eorum verborum : *ut populus fundus fieret*. Accusator sic interpretabatur : fundum fieri populum, cum auctor esset ejus rei quam alienaret; Cicero : cum acciperet unam pluresve leges Romæ latas, ut iis legibus in posterum æque ac populus Romanus uteretur.

Primum hoc notandum est. Populus fieri potest fundus juris Romani vel legis alicujus, quam accipit, et sic auctor est propriarum legum, a quibus recedit, alienationis; sed auctor non esse potest civi suo ut civitatem, sive volens, sive invitus, mutet, præsertim cum nil in fœde-

ribus exceptum sit. Liber enim homo manere in civitate sua, aut novam adipisci potest. Hoc mihi recte a Cicerone affirmari videtur [1].

Carolus Sigonius ait : « Populi fundi sunt, qui ipsi auctores fiunt ut jure civili se obstringant, quo modo accepit accusator Cornelii Balbi [2]. » Qui quidem idem de hoc loco atque Manutius, putat.

Franciscus Hottomanus, velut Manutius ac Sigonius, existimat Ciceronem causæ et tempori servisse [3]. « Neque rursus, inquit ille, ob eam causam fieri populus fundus dicitur quod in eo lex aliqua, tanquam ædificium in fundo ponatur, sed quod civibus suis novo et adscito jure utentibus fundamento, id est, firmamento sit. Item, ut auctores, sive patres, sive tutores, sive venditores, firmamento esse solent aliis qui eorum auctoritatem ita sequuntur ut ea perinde nitantur quasi ædificia fundo... »

Quod mihi satis confuse dictum videtur. Neque enim distinguunt tres illi celeberrimi ac sapientissimi viri, Manutius Sigoniusque et Hottomanus, quod luculenter discernit ac probat Cicero, universæ civitatis transitum in civitatem Romanam electione ac proprio consensu, atque civitatis mutationem a privato separatim factam.

Hadrianus Turnebus Tullii interpretationem approbat atque eum sine verborum captione argumentari asserit : « Quasi lex urbem Romam, in qua lata est, ait, pro civita-

[1] *Pro Balbo*, XVI.
[2] *De ant. jur Italiæ*, I, 4.
[3] *Observat.*, II, 19.

te habeat, populum illum fundum, a quo est adscita, pro fundo quodam suo, ut in eo sedem ponat, habet. Ita per translationem ea dicendi ratio auctoritatem significare cœpit [1]. »

Prius autem quam nostram expromamus opinionem, adnimadvertamus hoc verbum, fundum, satis antiquum fuisse, cujus vis eadem sit atque auctoris et adprobatoris. Plautus enim, in *Trinummo*, producit juvenem Lysitilem consilia agitantem ut virginem, Lesbonici sororem, sibi jungat connubio. Absente Charmide, virginis patre, cum Lesbonico egerat ut sibi nuptum daretur puella, etiam indotata; negabat tamen Lesbonicus indotatam sororem, quoniam id turpe videretur, ei in matrimonium collocare velle, etsi, dote numerata, ipsi nihil reliqui esset. Neque igitur expressis verbis desponderat sororem. Itaque redeuntem Charmidem convenire statuit Lysiteles et talia secum volvit :

> « Nunc mi is propere conveniundu 'st, ut quæ cum ejus filio
> Egi, ei rei pater sit fundus potior [2]. »

Hic igitur fundus est auctor atque hoc verbum latine idem valet atque græce βεβαιωτής, κύριος.

Ex Festo, hæc verba *fundum fieri*, ad contractum emptionis-venditionis pertinent et significant populum de

[1] *Adversariorum*, l. IV, c. 12. Neque aliter hoc verbum interpretati sunt Forcellini, Freund et Georges in suis glossariis.

[2] Act. V, sc. 1.

evictione teneri et emptori eam præstare debere, cum ipse venditionis auctor fuerit. Quæ formula, quamvis minus proprie, usurpata esse videtur de populis illis qui, jure Quiritium adscito ob aliquam utilitatem, fundi facti sunt. Voluntarius enim quasi contractus esse poterat eorum qui sua jura ac leges alienabant et Romanis commutabant : ipsis eligentibus et populo Romano permittente, populi fundi fiebant [1].

Varro autem putat populum fundum fieri tanquam fundum in quo jura residant ; itaque hi populi fundi legibus Romanis ita obligantur sicut fundus aut hypothecæ oppigneratus ager quique præs est optimus et sponsor [2].

Apud Gellium, ex Frontonis verba, fundus eamdem vim habet atque sententiæ adprobator, legis subscriptor : sententiæ igitur fundus is fit qui hanc opinionem, ab altero primum emissam, velut ex se deinde expromit atque adprobat.

Jam de municipibus dixerat idem scriptor eos nullis aliis necessitatibus neque ulla populi Romani lege adstrictos esse, nisi in quam populus eorum fundus factus esset [3].

His dictis, apparet quid verbum significare potuerit, sive ipsi vis quædam propria infuerit, sive metaphora usur-

[1] V. Festum, p. 18 : Fundus dicitur populus esse rei, quam alienat, hoc est auctor.

[2] Ager quod videbatur pecudum ac pecuniæ esse fundamentum fundus dicitur... Varro, p. 13, 2. Edit. 1563.

[3] Gell., XVI, 13, 6 et XIX, 8, 12.

patum sit. Quod alicujus auctoritate comprobatum est, hoc tanquam agendi norma fit. Ex variis orationis pro Balbo locis constat fundos, sive fœderatos, sive socios, sive liberos fuisse factos, qui legibus Romanis, quas adsciverant, parebant iisque utebantur [1] : « Totum hoc, judices, in ea fuit positum semper ratione atque sententia ut, cum jussisset populus Romanus aliquid, si id adscivissent socii populique latini, et si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo tanquam in fundo resedisset, ut tum lege eadem is populus teneretur [2]. » Quod accidere potuit duabus de causis, scilicet cum apud populos fœderatos, vel socios, vel liberos, nulla lex de re quapiam lata esset, vel cum ii, ob aliquam utilitatem, patriam legem abrogassent Romanorumque adscivissent.

Hoc erat liberæ civitatis atque ejus consensu permittentibusque Romanis fiebat. Hodie vero, quas volumus, externas leges adsciscere possumus, at proprias, non communes, reddimus, ut quondam Solonis leges, quas per decemviros descriptas voluit, ut nauticam Rhodiorum legem, ut jus fetiale ab Æquicolis petitum usurpavit populus Romanus. Ast ea fuit Romanorum superbia, is suarum rerum amor, ut legibus, vel lingua sua uti non omnes populos sineret. Ipse quidem, quos vicerat, deos in templa sua introducebat, sed nihil sui, nihil proprii sibi facti cum aliis commune esse sinebat, nisi quod beneficio concessum

[1] De municipiis idem dici potest; V. legem Juliam de civitate, apud Giraud, *Nov. Ench.*, p. 616.

[2] *Pro Balbo*, VIII, 20.

esset. Nam a. 573 A. Postumio Albino, C. Calpurnio coss., Cumanis petentibus permissum est ut publice latine loquerentur et præconibus latine vendendi jus esset [1]. Si hunc latinæ linguæ usum petere a Republica Romana necesse fuit, multo magis alicujus juris Romani usus erat petendus. Itaque beneficio populi Romani, non autem suo jure populi fundi fiunt.

At juris petendi aut beneficii accipiendi semper liberis civitatibus facultas fuit, quibus quoque et jus non petere et beneficium abnuere licebat, ut constat ex ipso Cicerone [2]. Quamobrem Furiam ac Voconiam de testamentis leges adsciverunt Latini, per quas legatis modus impositus est et cautum ne mulieres ad hereditates accedere possint, quas mox lex Falcidia, in idem propositum lata, secutura erat. Eo genere leges sæpe socii adsciverunt [3]. Item cum lege Julia civitas sociis et Latinis data fuit, qui populi fundi non fuere, civitatem non habuerunt.

Hæc verba, *Qui populi fundi facti non essent*, *civitatem non haberent*, legis Juliæ esse a plerisque existimatur. Contra tamen putat Henricus Valesius [4]. Ex ipsa sententiæ forma, quæ conditionem indicat, sine qua non Romani cives fierent, legis hæc verba fuisse mihi videntur recita-

1 Liv. XL, 42.

2 *Pro Balbo*, VIII, 21.

3 Liv., XLI, 29; Cic., *In Verr.*, I, 42; *De Senect.*, V; Gell., XX, 1, 23; Gaius, II, 225, 226, 274 et IV, 23; *Instit.*, II, 22.

4 Apud Grævii thesaurum.

taque a Cicerone esse judico. Valesio autem assentior existimanti haud legislatorem hoc legis capite jus Romanæ civitatis ad pauciores restrinxisse, et minime abest quin his verbis abuti potuisse Balbi accusatorem etiam putem.

Nam cum fundamenta firmissima libertatis sint ire quo libeat et quisque civitatis retinendæ et amittendæ dominus sit, ubi universo populo cuidam civitas a Romanis oblata erat, non prius hic populus civitatem obtinebat quam fundus factus fuerat. Neque enim aliis imperabant Romani ut beneficia acciperent. Itaque magna pars Heracliensium ac Neapolitanorum fœderis sui libertatem civitati antetulerunt. Sic, ut apud Livium legimus, tribus Hernicorum populis, quia maluerunt, suæ leges redditæ et Prænestini, ob virtutem civitate donati, non mutavere [1].

Privatis autem in civitatem venire semper licuit, nec tunc necesse erat ut populus fundus fieret. Quod quidem negat injuria Balbi accusator. Ridet Cicero hunc quod eam pœnam fœderibus adscribat ut præmiorum beneficiorumque expertes fœderatos faciat. Juliæ enim legi fraudem faciebat accusator, cum referendo ad singulos quod ad universos spectat, tum Romanorum in donanda civitate potestatem restringendo ad illos populos qui fundi fierent et civi in alteram civitatem transeunti auctores essent, id est, hanc ex sua in alteram migrationem probare vellent.

Latinis et sociis lege Julia civitas data fuit : hoc vero beneficium accipere aut respuere eis permissum est. Ea-

[1] Liv. IX, 43; XXIII, 20.

dem lege, ut consequens, ceteris civitas negabatur, nisi populi illi liberi fœderative civitate deinceps donarentur ac fundi fierent.

Verum, ut optime disserit Cicero, sive civitas offertur, sive fundi fiunt aut non fiunt, ex civitatibus sociorum atque amicorum fortissimum quemque propositis præmiis eliciendi facultatem neque ea lege, neque alia sibi populus Romanus ademit [1]. Quisque enim, ex jure civili, cui vult civitati se dicare potest et patriæ retinendæ aut mutandæ dominus est [2]. Nemo, etiam cum universæ gentes in civitatem recipiuntur, cogitur civitate mutari, si nolit; at si qui contra populi Romani beneficio civitatem sunt consecuti, etiam cum neque toti eorum genti oblata est, neque fundus is populus factus est, violatum fœdus nullo modo videtur. Violaretur tamen si, ut Cenomanorum Insubriumque et Helvetiorum atque Iapydum, nonnullorum item ex Gallia Barbarorum fœdera exstant, in fœderibus exceptum esset *ne quis eorum in civitatem Romanam reciperetur*. Quod si exceptio facit ne liceat, ut ait Cicero, ubi non est exceptum, ibi necesse est licere [3]. At in fœdere Gaditano, quod neque sacrosanctum, neque proprie fœdus fuisse demonstrat Tullius, nusquam erat *ne quem populus Romanus Gaditanum reciperet civitate*.

Longius procedit Tullius atque hanc exceptionem etiam lege Gellia ac Cornelia fuisse sublatam, si necesse esset,

[1] *Pro Balbo*, IX, 22.
[2] *Ibid.*, XI, 28 et XIII, 31.
[3] *Pro Balbo*, XIX, 32.

contendit atque negat fœdere ullo impediri posse civitatis mutationem. Jure hoc quoque mihi videtur esse dictum, quod quidem attinet ad jus Romanum. « Nemo invitus in civitate maneat, » lex ait : cuique igitur in Romanam civitatem venire licet, dummodo recipiatur. Falsum idem, quod ad externos pertinet, atque exceptione in fœderibus scripta teneri Romanos puto.

Id vero notatum velim, errare eos qui existiment aliter a Cicerone, aliter a Balbi accusatore explicari populos fundos. Neque enim reprehensus est accusator quod ignorasset quinam essent populi fundi, sed tantum quod dixerat fœderatos populos fundos debuisse fieri ut *aliquis* ex eorum civibus in Romanam civitatem veniret. Negabat factum esse populum Gaditanum fundum, id est, auctorem ac subscriptorem decreti illius, quo Balbus a Pompeio, ex lege Gellia civitate donatus erat. Id non necesse fuisse, ut Balbus civis Romanus fieret, satis eleganter et aperte, velut supra diximus, judicibus probat Tullius.

Non omnes leges populi Romani adsciscebant, sed unam aut alteram. Quotidie enim cum Romæ leges novæ scriberentur, quotidie jus novum his populis fuisset. Itaque populi fundi neque αὐτονομίαν, ut æstimat Bullialdus [1], amittebant, neque parta fœdere libertas eis adimebatur, quod tantum civitatem Romanam adeptis fieri poterat [2].

Quin etiam « fundus » verbum statum quemdam permanentem haud significat, eo modo quo populi alicujus

[1] Apud Grævii Thesaurum, loc cit.
[2] *Dig., de captiv. et postl. revers.*

conditio declaratur, cum liber aut fœderatus, aut socius dicitur. Quamobrem fundum populum *fieri*, haud *esse*, dicunt Romani scriptores. Ut Romanarum legum populus aliquis *fieri* fundus possit, illum liberum jam *esse* oportet, sive socium, sive fœderatum, sive nullo fœdere conjunctum. Est enim liberæ civitatis instituta quæ velit mutare aut comprobare. Municipia quoque, quæ pariter ac liberi populi suo jure utebantur, Romanorum leges adsciscere poterant. Nullis necessitatibus, ut ait Gellius, neque ulla lege adstricti municipes sunt, nisi in quam populus eorum fundus factus est[1]. Ex lege Julia municipali, quam in tabula Heracleensi inscriptam habemus, videmus universis municipiis ac præsertim municipiis fundanis, sive fundis, jura dari posse de viis, de censu, magistratuumque creatione et quibusdam aliis[2]. Municipia fundana sine dubio plerasque leges Romanorum adsciverant et cum majoribus in dies privilegiis ad civitatem obtinendam fruerentur, facile leges Roma accipiebant ac comprobabant. Sensim municipia cum coloniis confundebantur. At principio jura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii, habuerunt coloniæ, quæ quasi e civitate propagatæ fuerunt; municipes autem, quamvis Romani sint sæpius appellati, suis legibus ac suo jure vixerunt. Itaque in quas vellent Romanas leges, permittentibus Romanis, fundi fiebant municipes æque ac ceteri populi liberi. In annos

[1] xvi, 13, 6.

[2] Giraud, *Nov. Ench.*, p. 612-624. Vide quoque Mazochi, *Comm. in tabulas Heracleenses*, Neapoli, 1754, in-f°.

autem plures Romanorum leges adoptant atque una eademque facies toti imperio Romano ubique apparet.

Si legem adsciscere volebant, id postulare debebant : beneficio populi Romani fundi fiunt, ut inculeat nobis Tullius. Neque in dubio est populos fundos fieri tantum in jura privata atque iis teneri ; de republica, de imperio, de bello, de victoria, de salute populi fundi fieri minime unquam potuerunt : hoc natura rerum constat.

At quo modo populi fundi fiebant?

Primum non verisimile videtur socios et Latinos, qui legem Furiam de testamentis, verbi gratia, adsciverant, fuisse coactos apud magistratum Romanum de testamento disceptare, si qua forte controversia inter ipsos nata esset. Quod si ita fuisset, non id tacuisset Tullius, quippe qui tantopere laboret ut nihil de jure Romani populi imminutum esse demonstret, cum populi fundi facti essent. Non autem credo hoc tantum esse effectum ut populi fundi lege Romana, tanquam sua, uterentur.

Quare enim alii populi Roma postulavissent ut sibi permissum esset legem quamdam externam adoptare? Quod tandem beneficium in hoc positum fuisset? Superbiæ Romanæ nimirum blandiebantur? At, cum semper beneficium et amicitiam apud Ciceronem audiam, ad id adducor ut inter Romanos populosque qui fundi fiebant, fœdus quodam modo intervenisse putem. Ex quo fœdere non modo cum suis et inter se lege romana utebantur, ut censeo, sed etiam cum Romanis, ita quidem ut, si legis de testamentis cujusdam facti essent fundi, tunc et cives istorum fundorum populorum, Romæ peregrini dicti, ex

testamento secundum illam legem facto partem capere possent atque iterum cives Romani, ex tali testamento apud fundum populum condito, eadem facultate fruerentur [1]. Ita fit ut aliquoties jure civili inter Romanos et peregrinos agi possit, quod primum mirum videtur. Revocemus tamen in memoriam hæc Ulpiani verba : « Mancipatio locum habet inter cives Romanos et Latinos colonarios Latinosque Junianos, eosque peregrinos, quibus commercium datum est [2]. »

Sine dubio hic de populis fundis agitur. Tunc intelligere est quare leges Romanas adsciscere beneficium esset et cur hæc adsciscendi facultas a Romanis petenda. Nonne vero semper omnium populorum fuit natura eadem aliis conferre quæ sibi conferantur? Nonne apud omnes gentes leges exstant quibus mutuo cives et peregrini uti queant [3] ?

Tunc quoque intelligimus quamdam fuisse alienationem a populo fundo factam illius legis quam Romana mutabat et auctorum latinorum interpretationes subveniunt clariores. Quemadmodum evictionem auctor venditionis præstare emptori debet, sic jura sua alienando et Romana acquirendo sese obligat in Romanos populus fundus atque huic ille rursus.

Quæ si vera sunt, si fœdus quoddam intervenit, ne dubitemus Ciceronem in hoc vocabulo lusisse, cum fundum

[1] Conf. Elout, *op. cit.*, p. 59-61.

[2] T. xix, l. 4.

[3] Conf. Gallorum Cod. civ., 11, 726, 912. — Conf. quoque de commercio hodierna fœdera.

populum fieri dicat, quod aliqua lex adscita in eum, tanquam in fundum residat. Hoc tam ridiculum est quam fidem dici, quia fiat, quod dictum est. His tamen originibus indulgebant veteres Romani. At ego libenter hoc verbum *fundus* cum verbis *fœdus* et *fides* conferam et illi atque his eamdem originem sanscritam, *bandh*, attribuam, cujus vis propria est *ligare*. Eadem vero analogia est inter voces *fundus* et *fides* atque inter ejusdem verbi formas *fundere* et *fudi*, *tundere* et *tutudi*, *vincere* et *vici*, etc.

Fundus igitur antiqua vox sit qua significetur qui hujus generis fœdere ligatur fidemque dat populus : quod confirmat adjectivi nominis forma.

Fieri tamen potest quoque ut idem verbum primo *qui fidem dant*, deinde solidam sedem qua secure nitantur indicaverit.

Nobis igitur fundi populi videntur fuisse nihil aliud quam fœderati, qui peculiaris formæ fœdere leges Romanas quasdam adsciscere solebant, ut eodem jure atque populus Romanus, in rebus quidem privatis, uterentur ac fruerentur et æquis conditionibus cum civibus romanis agerent [1].

[1] Sunt qui putent populos fundos esse dictos a Fundis, Latii oppido, quod in primis cum Formianis et quibusdam aliis civitatem obtinuit. Quemadmodum jus Cæritum idem erat atque jus civitatis sine suffragio, sic jus Fundorum de signaret jus optimum civitatis facultatemque hoc jus adipiscendi respuendive. Ea opinio nil certi in se habet : nusquam vidimus Fundos dissimili conditione fuisse atque Formias Capuamque et cetera oppida, quibus jus civitatis, vel cum suffragio, vel sine suffragio, concessum fuit.

CAPUT VI

Totius orationis ratio. — Conclusio.

Jam vero præcipuis orationis pro Balbo locis explicatis, si in brevem conspectum ejus partes amplexi erimus, ita accurate dictam scriptamque æstimabimus ut nihil, quod ad causæ defensionem pertineret, prætermissum esse videatur.

Cum audientium animos simul et aures præoccupare soleat Tullius in exordio, judicum benevolentiam sibi et Balbo conciliat ostenditque reum ab amplissimis ac peritissimis patronis esse defensum. Quod quidem jam fecerat Tullius, ut in Sextii causa et quibusdam aliis. Sequuntur Crassi Pompeiique laudes uberrimæ, atque ita, tertio loco ipse loquens, majus ac difficilius opus aggredi videtur.

Balbi vitam narrando defendendoque Pompeii factum, hoc præsertim contendit : magis in crimen venisse Pom-

peii auctoritatem quam Balbi culpam. Summa enim subtilitate plerumque Cicero demonstrat totius reipublicæ Romanorumque gloriæ interesse absolutionem rei, quem defendere suscepit. Ipse quoque Demosthenes eo genere dicendi interdum usus est.

Injuria accusator negat quemquam ex fœderatis populis fieri posse civem Romanum, nisi populus fundus factus sit. Etenim hi populi tantum earum legum, quæ ad jus civile pertinent, fundi fieri solent. Quemadmodum civis Romanus fit Gaditanus, aut aliarum civitatum civis, sic Gaditano fieri civi Romano licet. Ut id non liceat, exceptum esse in fœdere oportet. Ubi non exceptum, licet. Itaque jure, lege Gellia ac Cornelia, a Pompeio Balbus civitate donatus est.

Quin etiam, fundum factum esse Gaditanum populum in dubio esse non potest, cum hanc civitatis donationem probaverit, hospitium publice cum Balbo faciendo. Nam, ut Romæ hospes publicus Gaditanorum esset, civem Romanum fuisse Balbum necesse erat. Ita Ciceronem juvat, postquam adversarium non jure esse locutum omnibus apertum fecit, eumdem propriis verbis refellere, ut bis vincat et suis et accusatoris ipsius argumentis victoriamque indubitatam referat. Hoc non timidi, ut quibusdam placuit, sed potius audacis ingenii est.

In concludenda oratione se ad altiora erigit Cicero, et, cum Balbus a Pompeii inimicis oppugnetur, cum de hujus beneficio potius quam de illius maleficio judicaturi sint judices, ad concordiam cives invitat atque docet : « *Non*

inconstantis populi esse sententiam, tanquam aliquod navigium atque cursum ex rei publicœ tempestate moderari [1]. »

Hæc est pro Balbo et, ut ita dicam, pro Pompeio oratio, ex intima juris ac legum notitia conflata, ubi, etiamsi minores utriusque laudes interdum desideres, semper tamen patriæ amor viget apparetque de Romanorum magnitudine justa ac perpetua sollicitudo.

[1] *Pro Balbo*, XXVII, 61.

Vidi ac perlegi

Aquis-Sextiis, ante diem quartam nonas apriles,

In Aquensi Litterarum Facultate Decanus,

G. BIZOS

Typis mandetur :

Academiœ Aquensis Rector,

BELIN

INSUNT